

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

LXXIII. De Induciis

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

et populi successorem definiiri. Memini quoque Reges, cum propter delictum fratres suos excludere, et privare suo iure cuperent, per seipfos statuere non potuisse, sed causam reieçisse ad Curiam, quae de huiusmodi facto cognosceret, et secundum regni leges iudicaret, convictumque damnaret. Tum Reges stetitisse iudicio, aut si quid contra fieret, ab Ordinibus interpellatos et impeditos, tandem in Curiae, hoc est, Comitiorum decreto, quod eos regno astricto tenebat, acquievissent. Igitur in extrema incurrunt, qui regnum hoc ex regnis aliis aestimant, quippe quod plus ex republica, quam ex regno habet; idcirco tamen ad paucorum, vel ad popularis Imperii conditionem redigi non potest. In eam sententiam legi possunt *Matthaeus Paris, Vilhelmus Malmesburiensis, Thomas Valsinghamus, Matthaeus Vestmonasteriensis, Rogerius Hovedenus, Simeon Dunelmensis, Henricus Huntingdon, Ailredus Abbas Rievallensis, Ioannes Brompton, Radolphus de Diceto, Henricus Knighton, Hubington, Crown, Buks, Burnet*: praeter quos extant publica regni instrumenta et chartae, in regni tabulariis, et bibliotheca Cottoniana. De industria praetermissi *Polydorus Vergilius*, odii in Anglos manifestum, et si ex eo quoque indicia et argumenta peti possunt, quae ad fulciendam Senatus populiqve Britannici auctoritatem haud obscure spectant. Ego tandem hoc commentariolum finio, bene precatus Regi *Gvilelmo, Liberatori Britanniae, Vindici Hiberniae, Victori Hostium, Domitori Perduellium, Paribus cum Augusto Leopoldo Auspicis, Custodi Securitatis Publicae, Propugnatori Afflictorum Principum, Statori denique Libertatis Europae, Regi Divinitus Delecto atqve Servato, ut Britannos e Iugo, quod Cervicibus Eorum impendebat, Ereptos, Sua et Vicinorum Causa Salvos praestaret, ab Iniuriaque defenderet, ac Benigne tueretur, Principi Pio Felici Maximo, Qui Plus confecit, quam Alii destinarunt, Plus Facile Biennio gessit, quam Aetate Sua vel Certe Imperii Tempore egit Vespasianus.*

## LXXIII. DE INDVCIIS. CAPVT I.

**M**ultas esse res, quae cum ad communis vitae utilitatem; tum ad Reip. salutem magnam vim habeant, et rationes plurimae, et veritissimorum Analium monumenta, quae afferre iam non expedit, clarissime testantur. De exemplis Maiorum (a) nil dicam, cum ultero citroque posteritati prodita inveniamus, quae nemo nisi ignarus reipublicae, nescire, nemo, nisi barbarus aversari, nemo denique, nisi salutis imperii immemor, odisse potest. Cuius ut dare liceat vel qualecunque documentum, locus, spero, differendi erit de Induciis, quibus ut victis (b) nihil salutaris; ita saepenumero victori (c) nil ad proni in pacem animi clementiaeque opinionem utilius est. Sed dignitatem quoque earundem confirmat,

mat, quod divini humanique iuris foedera violasse intelligatur, qui nescio qua projecta libidine et induciarum violare religionem (d) et rumpere fas gentium ausit; Tum vero ex usu reipublicae illas esse, cum multi, tum praecipue sortes et de summa rerum praeclearissime meriti testabuntur, (e) facile affirmaturi, et caput suum exitio se obiecturos, et rempublicam in extremum discrimen adducturos fuisse, ni rationes, quibus pietas obstringi possit, excogitassent, ac inducias, praecipua illa securitatis publicae momenta, et quaedam quasi salutis bellicae pignora, quibus cum haesitante ac destinatis adversante fortuna in gratiam redierunt, cum hoste pepigissent. (f) Caeterum Induciae certis stant legibus, et suis quasi vinculis continentur, quarum rationes ut excutiamus, honorificum, ut recte incemus, publice est salutare. Et quidem Inducias vulgo eas probare solent, quas inchoat dissidentia (g) sui, prudentia moderatur, quas fortitudo denique et spes magnis nixa consiliis, et validis instructa praesidiis, et auxiliis hinc inde contractis firmata (h) finit. In qua curarum parte occupato et si optandum fuerat, vel limatissimi iudicii, vel exquisitissimi ingenii Praeceptores meos, hoc munere praeclearissime defuncturos, in vices meas succedere; nihilo tamen secius tantorum Virorum, quos Praeceptores nancisci, haud exiguum felicitati robur, studiis certe decus est, favore atque patrio conari aliquid, integrum erit.

(a) Est enim prudentis tenere placita Veterum, nosse exempla maiorum. Conf. Cic. lib. III. de leg. et incomparab. Böcler. disert. de notit. Reip. Conringius in lib. de Ci. vil. prud. (b) Hi enim per inducias vires amissas colligunt. (c) Hanc ob causam Syllagambis Alex. M. ex gratia et aequitate aestimatum Dario ipso digniorem pronunciare non dubitat. Curt. III. 12. 24. Interest enim victoris, ut non magis iustus, quam misericors audiat, in eiusd. IV. 11. Hoc nomine quoque Caesar auctoritatem apud exteras gentes amplificavit, ut omnes dicerent, ope Deorum sua bella gerere. De bell. Gall. II. et alibi passim. Tali modo Darius Codomannus se misericordia, et continentia Alexandri victum, cum nulla se quidem haecenus vis subegerit, affirmat. ap. Curt. IV. 11. Huc spectant multa alia, quae apud Liv. Frontin. Plutarch. Flor. Val. Max. legas. Eodemque modo Cl. D. B. iudicant, Regem Hispaniarum non vi aut necessitate compulsum, sed benignitate et clementia adductum, foederatos Belgas ad passionem induciarum invitasse. Orat. de ampl. Bell. Belg. Induc. Tantum ut alibi, ita maxime in bello virtutis et benevolentiae valet fama. Sed de hoc iudicabitur inferius. (d) Cornel. Nep. in Agesilao XVII. 2. ubi Agesilaus affirmat, se servata Induciarum religione, sensisse Deorum Numen facere secum, hominesque sibi conciliatos. (e) Laoco apud Cornel. d. I. iis se confirmasse exercitum fatetur. (f) Argumento huic rei sunt Induciae inter Romanos et Sabinos pactae, apud Dionys. II. 5. (g) Recte in hanc rem Dominic. Baudius in Orat. de Induc. Bell. Belg. Libens, inquit, assentior iis, qui providam et sapientem dissidentiam opinantur esse firmissimum adversus fraudes et insidias munimentum. (h) De his vid. nunquam satis adminandus Boxb. Instit. Polit. Baud. in Orat. de Indu-

*Inducias bell. Belg. et Nobiliff. Ioh. Strauch. in Diff. de Induc. Vt nihil de summo Grotio et auctore iuris et iudicii feialis dicam.*

§. II. Vix est, ut quomodo recte Induciarum leges ineantur, feliciter expediamus, nisi primo omnium nominis rationem habeamus. Si enim haec leviora videntur, quae tamen haud raro gravissima sunt: hoc tamen minus ab iis abhorreo, quo magis ad rerum saepe vim exprimendam faciunt. Agellius (*i*) nisi tamen in re seria ludere velit, Varronis sententiam expositurus, singulari quadam ratione causam aperire huius vocis studuit, arbitratus, inducias appellari a vocibus *inde uti iam*. Si probat tamen haec lectio est. Certe vetustissimo codici, quem ex Bibl. Paulian. D. Ioh. Strauch. memorat, ea manifeste repugnat. Rationem, quam Agellius affert, subtilior est, quam verior: verior, inquam, forte in ista studiorum umbra, et apparatu λέξεων. Vbi non tam vis ingenii, quam literarum indoles aestimanda saepe venit, (*k*) Nihilo melius nostro iudicio sapiunt, qui ab initu (vel ut Veteres scripsisse lego, ENDOITY:) deduci autumant. Eorum classi aggregant Aurelium Opilium, (*l*) qui ne frustra hunc suscepisse laborem videretur: *Induciae*, inquit, *dicuntur*, cum hostes inter se utrinque alter ad alterum impune et sine pugna ineunt. Inde ab eo, pergit, nomen esse factum, quasi initus atque introitus. Sed quis non videt, Opilium durius hanc originem interpretari? Tantum abest, ut auream hanc derivandi rationem dicam, ut ab omni quoque Classieorum auctorum usu longe alienissimam esse censeam. Quis enim fando unquam audivit? Quis uspiam legit, initum bonis Scriptoribus dici, quem sibi finxit Opilius, dignus, qui, ne quid durius dicam, ad Opilionum turbam abeat, si ita quidem ex animo sensit. Sunt, qui privatim tamen haec tenus ita existimant, ab In et Duce appellari, persuasum habeant, quod inducias facere, in Ducis belli sit manu. Ast, nisi fallor, iterum nimis a veritate haec defleat originatio. Alii ab inducendo (*m*) simplicius deduci, arbitrantur. Et tamen quidam causantur, his rationem metri ob stare: Nihilo tamen secius rem esse confessam aiunt, quod derivata quaedam a fontibus suis nimis longe abeant. Sed ii, ut iam dicemus, vocem ex quorundam rivulis aestimant, quam ex fontibus debebant. (*n*) Martinius aliam insilit viam, induciarum originem multo acutius ab In et Otium auspicandam esse, dictitans. Qui tamen si a Graeco ἐνδυκέως (*o*) deducere voluisset; parum forte abesset, quin consentientes nos haberet: Nisi Vir Clarissimus ac Polyhistor exactissimi ingenii D. Chr. Daenius monuisset, iis, qui ab ἐνδυκέως derivatas velint, metri ac iustae prononciationis leges refragari. Cum enim syllaba, quae tertia ab ultima est, in dictione Graeca tempus breve habeat; id vero multo secus in voce Induciarum appareat, cuius initio proxima, tempus longum (loquendum enim hic cum magistris Poetices est) retinet, iusta, cur id displiceat, causa est. Hospitem enim in studiis humanitatis esse oportet, qui hoc ignorat. Producimus Terentium Eunuch. I. 1. 15. Senec. Theb. v. 485. Prudentium, peristeph. 3. 126. argumento huic sufficientissimos

tillimos testes. Recentiorum exempla, quales sunt Ioh. Francisc. Picus, Bapt. Mantuan. Petr. Gursius, Caelius Calgagninus, Iulius Scaliger, ea non sunt auctoritate, ut legem inter doctos faciant. Qui ab Indu vel Indo et otium deducunt, Cl. Daumio nugari videntur. Sed et aliis quoque haec origo adeo non placet, ut longe quoque diversam eligant. Ad locum Agellii, qui extat l. 1. Noct. Attic. c. XXV. Carrionis notas Daumius desiderat, et dissidium inter eum et Stephanum exortum detestatur. Igitur cum tertiam ab ultima non litera brevi, sed longa et producta oporteat pronuciari, congruens est, ut suam metro legem servaturi, ab *inducendo* dictas velimus, cum per inducias cessatio quaedam ab armis inducatur. Nil clarius, nil certius est, satis argumenti habentibus, cur a Grotii, et qui hunc sequitur summus D. Ioh. Strauchius, origine discedamus. Nec desunt, qui a vocabulo indicis vel indicii malint deduci, qui spem omnem in literarum I. et V. permutatione ponunt. Sed hi dum rem expedire conantur, impediunt magis.

(i) l. 1. cap. 25. cit. *Matth. Marrino in lex. Philolog. in hac voce et D. Jac. Martin. l. 2. Polit. et D. Struch. laud. diff.* Cui praeter alios observatum est, multo secus illic legi: *np. Induci Ansam* (k) scilicet existimat, originem induciarum recte hinc accessi, quod praeterito induciarum tempore, quod mutua conventionione initum est, omnia pristino rursus belli iure agere liceat. De rei veritate non labomus, dummodo modus ille derivandi animum exstatuere; Sed alias certum est, si placito Agellii standum, rectius scribi *indutias*, quam *inducias*. Ita etiam scribitur in aliquibus iuris nostri Systematis, ff. de capt. et Postl. l. 19. §. 1. Si tamen ex sola illa scriptione faciendum iudicium esset, multa inepta, multa absurda inferi Originibus oporteret. (l) Ita eum sentire in libr. quos Musarum inscripsit, testis est Agellius. (m) Inducere aliocquin verbum est Ictorum proprium, et a tabellis cenatis, sive pugillaribus, quibus literas stylo inscriptas, stylo iterum expungere licebat, desumptum. ff. de his, quae in test. del. l. 1. §. 1. Illud etiam inter omnes constat, Tranquillum hinc desumpsisse phrasin, inducere decretum, pro refrigerare vel rescindere leges. De accommodatione huius vocabuli ἐν σφύραξιν disquiri posset. (n) Lex. phil. c. 1. Incomparabili Grotio nostro ab *Inde et Otium dici*, D. Struchius quoque monet, disp. laud. de induc. Quo pertinet etiam vetus scriptio *ENDOITIA* vel *INDOITIA* conf. Grot. de I. B. et P. III. XXI. 2. p. 602. (o) Id praedictum est significat benevolentiae et promptitudinis. Conventiones enim oriuntur ex consensu in idem placitum et ad fidem servandam efficaciter obligant.

§. III. Caeterum ab his parum ad temp. redundare videtur emolumentum. Interim haud dimittemus occasionem disquirendi, quae cum induciis paria in significatione faciant. Pax Castrensis Varroni, aliis cessatio pugnae pactitia: nonnullis foedus militare dicitur. Praeter caeteros Thucydides ἐκεχειρίαν nominat, quod tempore Induciarum cohibitis quasi manibus, a pugna cessetur. Nec aequum est, ut praetereamus ἀνακωχήν, (p) tritam Graecis vocem, hac significatione venire; quam ignorare non potest, qui vel a limine Herodianum salutavit. (q)

(p) Dici-

(p) Dicitur sic ἀπὸ τῆ ἀναγωγῆς ἀναγωγῆς ἔχειν. Aliis ita appellari videtur, quasi ἀνοχῆ ab ἀνάχω. (q) In Oriente quaedam obversantur vocabula, a themate sensu concordiae, reconciliationis, vel pacis praedito arcessenda. Gallis pactum Induciarum Treves, Italis Tregua dicitur, quod ad nauseam in schedulis pragmaticis frequentari videas. Nec id D. Semuch praeterire potuit.

§. IV, Inde ambiguitatem evolvendam processuro, observandum est, Inducias iam sumi pro re ipsa, vel cessatione pactitia inter belligerantes constituta; iam pro formula, in qua conditiones mutuo pacifcentium consensu approbatae, ad posteritatis memoriam descriptae extant. (r) Caeteroquin ea significatio ad institutum nostrum haud quadrat, qua, nomine induciarum, quaelibet remissio vel relaxatio intelligitur. Qualem occurrere, nemini dubium est apud Cassiodorum et Ictos, qui pro suo loquentium more Inducias *monitorias* vocant, (s) quae debitoribus fortuito casu ad paupertatem reductis concedi solent, ut durantibus iis, facultatem habeant reparandi pecuniam, et dissolvendi aes alienum. Nec vacat et a proposito alienius est, horsum afferre quintuplices Inducias, quas appellant, Restitutorias, Praeparatorias, Citatorias, Deliberatorias et denique Executorias. Nam reminiscenti, politici partes iam mihi datas esse, alio sunt cogitationes convertendae.

(r) Talem induciarum formulam legas apud Thucydid. l. IV. B. P. et in Tom. III. Histor. German. p. m. 2090. Vbi Ebraimus Strofschenius nomine Solymanni Turc. Imper. literas protulit, in quibus exaratae erant conditiones, ad inducias octonis annis duraturas, pertinentes. Chaldaei, ut obiter inseram, literas conventionum vel contractuum Schoter appellant. Hinc AErasm Alexandri dictam accepimus, quasi dices numerum cautionum, Caeteroquin de vario conventionis usu vid. laud. D. Strauch. (s) Quae sunt induciae sensu iuridico, patet per l. 8. Cod. Qui Bon. Ced. Poss. Huc conf. Schonborner Polit. l. V. c. 26. I. Martini lib III. Polit. partiens inducias secundum glos. sum. 3. qv. 2. Et Hahn. de Iur. Imper. German. Th. 40. §. 5. Add. Perez, Ictus Lovaniensis n. 24. 22. C. b. t. Litens, quibus huiusmodi induciae conceduntur, Gallis dici solent lettres de respit a un ou cinq ans, et quingvennel. Vulgo appellari solent gratiae, rescripta monitoria, induciales, dilatoriae securitatis, Dvinqvenellen / Schusanstand Briefe. Conf. Reform. Polit. de A. 1548. et 1570. it. R. A. A. 1654. formulam earum praebet Haysdorf. §. Secret. part. II. append. p. 740.

§. V. Itaque ne sine praescripto ordinis differere videar: sequitur, ut expediam, unde vim atque sanctitatem Induciarum, tanto oculis evidentius subiicere liceat. Id facturus, a definitione auspicari in animum induxi. Ut vero omnia hoc loco ratione iuris militaris, (t) quod vel maximos iuris gentium fructus tulisse accepimus, metienda censuerim. Ita haud pigebit, Inducias appellare conventionem, (u) *militarem*, a Ducibus (vv) in certum tempus (x) mutuae securitatis causa (y) initam, ut durante adhuc bello, (z) pugnae suspendantur, aliique omnes alius hostiles intermittantur. (aa)

(t) Hinc

(t) Hinc qui ius belli non habet, nec ius pangendi inducias habere intelligitur. Sciatur hic tamen ius pangendi inducias ex iis esse, quae evidentis utilitatis respectu aliis quoque possint impertiri. Tamen si enim non ignoramus, potestatem faciendarum induciarum ad iura maiestatis maiora, gubernationem et statum reip. primario concernentia, pertinere, tamen speciali ratione receptum a maiestate est, ut usum talis iuris aliquando inferiori concedat, munusque hoc sibi debitum, alteri tribuat, non iure proprio, sed indulgentia singulari, flagitante id necessitate publica, administrandum. Nam cum foederum, quae spectant ad salutem totius civitatis, a nemine, praeterquam a Summa potestate, proficiscitur: Salvo tamen iure administrationis inferiori concedendae quatenus id civitatis interest. v. Feld. Analys. Pol. l. 4. cap. 15. Cacterum hic ius induciarum militare cum iure induciarum ad relaxandos debitores casu aliquo facultatibus lapsos, concessio, quas vulgo monitorias vocant, confundi non debet. Sed id iam manifestum est. Saltem dicendum mihi est, errare eos, qui hoc ius posterioribus regalibus accenseri iuribus, quae reservata vocant, contendunt. Nam minime dubium est, id praeter Imperatorem et Sacri Imperii Interreges, Ordinibus quoque in sacratissimo imperio tribuendum iure potestatis, in suum cuique territorium competentis, quam superioritatem Icti, imperium civile Politici appellant. Quale ius et longa consuetudine et praescriptione acquisitum, existimat Heig. part. II. Math. Stephan. lib. 2. de Iurisdict. part. I. c. 7. et qui instar omnium est VVilb. Anthonii de rescript. morat. Illudque finibus territorii coercetur, nec ultra eos profertur. Henning. Gross. diff. de rescr. mor. th. 4. In qua parte cum induciis militaribus, conveniunt, quas pangendi Principibus esse potestatem, nemini, nisi in Germania nostra hospiti, obscurum est. Nec modo domi, sed foris quoque eas facere ipsis licet per sanct. VVestph. Si enim ius bellandi habent, quod certe habent, iure pangendarum induciarum fraudari non possunt, cum hoc illius consequens sit, imo aliquid maius in iure belli, quam in iure induciarum appareat. Atqui illud convenire Ordinibus, elucet ex A. B. cap. 17. §. fin. N. A. zu Speyer de A. 1526. S. Zum andern. Sed omnes constitutiones huc allegare non vacat. Monebimus tamen, si chartae spatium sinat, hac de re aliquid infra. (v) Conventio vel accipitur sub notione actus, vel ut nomen status est. Plane ut in Philosophia prima Vnio, quae sic dicitur, iam sensu efficientis, iam significato stantis accipi solet. Par, ut puto, conventionis ratio est. Quae definitio licet ex causa potissimum arcessatur, tamen hic non tam sub notione causae, quam sub ratione eius, quod ex causa ortum deductumve est, sumitur, id est, quatenus obligationem ex conventionem natam sensu, ut loquuntur, formali includit. Paetionem dicunt alii, imitati Cicero-nem, cum aliis bonis auctoribus in causa foederum hoc vocabulo utentem. Peraccurante alii, statum partium, bello dissidentium finiunt, quo paetitia actuum hostilium cessatio inducatur. (vv) Paciscuntur enim Duces belli de his, quae ad militarem administrationem necessaria fore iudicant. Duces vel sunt maiestate praediti, vel potestate ad res gerendas communicata utuntur. Illi libere, hi praefinito agunt. Is enim qui

qui exequitur mandatum, non debet excedere fines mandati. *Instit. de Mand. §. 8.* Rursus haec potestas communicata aut suspenditur a Maiestate, aut a principis nutu, aut Duci prorenata gerenda permittitur. Posterius sicut ex usu reipubl. est; ica hodie Batavis usurpatum laudat c. 1. Cl. Boxborn. in Legatis probat Varsovic. de Leg. et legat. p. m. 95. Id restringit Nob. D. Lebleu, Instruct. fut. Conf. c. 10. Huc conf. auct. de iur. inter gent. part. I. Sect. 9. Ceterum ob strictiores mandatorum milites male vulgo audiunt Hispani. Quo nomine peccasse Ocquendum, classis Hispanicae nuper praefectum, nimis apertum est. Cum eo confert Torstensobnium Ern. Gockel. ea re feliciorum, quod a liberioribus mandatis fuerit instructus: de Reg. Eur. cap. 18. de bell. Quae delegata potestas in aliis quoque hunc recipit favorem, ut duces inferiores dandorum obsidum habeant potestatem, velut recte annotavit Schilterus de Iur. et Stat. Obsid. (x) Tempus enim pro mutuo paciscentium nutu ac respectu utilitatis, quam ad se redundaturam provident, iam brevius, iam longius constituitur. (y) Induciarum igitur certitudini ne quid desit, sponsonibus, iureiurando ac datis obsidibus confirmari solent. Recte enim Cicero affirmat, maiores nostros nullum vinculum ad astringendam fidem iureiurando arctius esse voluisse. An vero obsides dati a iureiurando liberent, discussum videas ap. auct. iur. inter gent. p. m. 447. seqq. (z) Induciae enim non finiunt bellum, sed actus tantum hostiles et praelia suspendunt. Actus inquam hostiles, non vero actus bellicos: sic refert Besselmeier in Hist. Bell. Magdeburg. p. 176. Tom. II. cor. quae in imper. Carol. V. inciderunt, cum Magdeburgensibus pactas quidem fuisse inducias; hostem vero a bellicis operibus nunquam abstinuisse. Quod tamen eo valet, si hostis per actus illos bellicos id non consequatur, quod aperto alias Marte consecuturus erat. Semper enim hic pactorum ratio habenda, curandumque, ut scelus et perfidiae opinio vitetur. (aa) Inde colligere liceat, bellum non tam esse nomen actus, quam status. Haud enim est, cur dubitemus, bellum esse posse, etiam si bellantes nullos actus hostiles exerceant, nec pugnas bellicas committant.

§. VI. Haud omiserim, (bb) quod Paulus noster paulo aliter inducias describat; id enim inferere non alienum duxi. *Induciae sunt*, inquit, *cum in breve et praesens tempus convenit, ne invicem se laessant (hostes).* Varro (cc) Ciceroni a divino, quo polluit, ingenio, saepe laudatus, nimis, si recte auguramur, anguste de Induciarum pacto sentit, dum, Agellio teste, pacem castrensem paucorum dierum vocat. Qui alioquin Inducias belli ferias appellat, non eleganter magis, quam nervose.

(bb) ff. de capt. et de postl. l. 19. §. induciae. Quam definitionem explicat et vindicat summus Ictus Magnif. D. D. Ziegl. Patronus, *Hostes, Praeceptor perpetuum honorandus disp. de iur. fortalit. faed. induc. th. 29.* (cc) Nim. I. Acad. Q. affirmat, Varronem praeter alia omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisse, plurimumque Poetis et Latinis literis luminis attulisse.

§. VII. Et si vero non ignoro, pleraque hic inveniri, (*dd*) quae accuratiorem penitentiam exquisitius dicta vellent; quia tamen hoc me labore iam olim (*ee*) Agellius levare voluit: Id facere libens supersedeo: Maxime, quod sciam, neque commodi multum, et damni nihil per has curas ad rem publicam redundare. Quamquam vero his diutius excutiendis immorari supervacuum puto. Nihilominus, ut conventionem hanc militarem non nihil accuratius persequamur, nostra opinor, interest, exponere, partim cui originem acceptam ferat, partim quo iure illa recepta sit. Quae ratione fiet, ut fundamenta huius argumenti a primis principis paulo altius repetamus.

(*dd*) *Quare hi auctores excusabuntur, si eorum definitiones non aliter, quam definitiones nominis recipiantur. (ee) supra cit. loc. Qui evolvendis nominibus, quam explicandis imperiorum arcanis intentior fuit.*

§. VIII. Igitur tempus et ratio instituti nunc me monent, ut de primis quaestionalibus Induciarum dispiciam. Tempus, quo primum coeperunt, vix certum mihi suppetit. Ante diluvium in usu fuisse, nullo confirmari indicio, nulla evincit ratione solida potest. Nisi tamen Cainitica bella suspicionem praebent cogitandi, mortalium primos, praeliis fatigatos, per Inducias non nihil respirare, et moram restaurandis viribus interponere voluisse. A diluvio quando primum pactae fuerint, aequae dubito. Quia a Nimrodo (*ff*) et vetustissimarum retrogentium bellis repeti earum primordia oporteat, nihil, credo, asserere me vetat. Nec est, cur vereat affirmare, ut foedera reliqua, ita inducias primo omnium apud Hebraeos coepisse. Caeterum si ad profanos Annales ventum est, *Homerum*, antiquitate caeteris omnibus longe praefendum, meminisse Induciarum, observabis. Herodotus quoque, ille Historicorum parens, ad spem induciarum te incitabit. De Thucydide eo minus dubitandum, quod *ἐκ χειρὸς* discrete nominat. Quae vero de Lyaone (: alii Lycanore :) (*gg*) Plinius memorat, fabulis finitima videntur.

(*ff*) *Huc conf. historia Clarissimi D. Praesidis, de Nimrodo. (gg) Hic vid. saepe laudat. Excellent. D. Strauch. Dissert. de Induc. Alias multa de Lyaone fabuloso Plinius narrat. Scilicet nullum tam impudens mendacium, ut teste careat, asserente ipse met N. H. l. 8. c. 22.*

§. IX. Originem temporis iuris origo excipit. Nos sine ambagibus affirmamus, inducias cum iuri gentium, tum aequitati auspicia sua debere. Quae res, me quidem iudice, confessa est. Quis enim dubitat, tacita inter omnes cordatiorum gentes conventionem (*bb*) receptum esse, ut inter ancipites fortunae casus, funestosque bellorum exitus et tot ac tam miseranda hominum excidia, ad tempus cessatio a praeliis constituatur, et mora tam capitalibus dissidiis aliqua interponatur? Illud quoque hortatur aequitas, ut fortunae, cuius instabiles vices nemo ignorat, memores simus, et quod iam aliis, id brevi timendum nobis sciamus, ut praeter Scythas,

thas, (ii) fortissimus Indiae rex Porus (kk) existimavit, qui Alexandro interroganti, quid ipse victorem se statuere debere censeret, respondit; quod hic tibi dies suadet, quo expertus es, quam eaduca felicitas esset.

(hh) Scilicet dicitur ius gentium, non quasi re ipsa omnes inter gentes expressa quadam conventionione aut sanctione actu lata receptum fuerit, sed quod tractu temporis, exigente necessitate publica, omnibus placere visum sit, eandemque ob causam id totius quasi terrarum orbis decretum fuisse existimetur. Nervose id docet Ioan. de Salas tr. de leg. disp. 2. f. 3. q. 91. tr. 13. et Dom. Soto tr. de iust. et iur. l. 3. q. 1. a. 3.

(ii) Curt. VII. 8. 14. 15. et ibid. c. 8. 25. (kk) Curt. VIII. 14. 43.

§. X. Commodum hic quoque in mentem venit recordari, quod cultioribus gentibus et recta ratio suggessit, et pietas in suos (ll) expressit. Homerus, quod nemini hanc materiam tractanti observatum memini, introducit Theridem, Iovis interpretem, Achilli nunciantem, iratos sibi Deos esse, ob non redditum Hectoris cadaver, ut cui pro fortitudine et pietate, in patriam multis modis comprobata, iusta persolvenda esse censeant. Quarum exequiarum solennia, uti par fuit, acturis, undecim dierum tempus extrahendum erat. Non abnuebat Achaivorum Dux Achilles, ratus, iura naturae pietatisque officia bellis non esse turbanda, nedum mutanda. Quo nomine ad Priamum (mm) dixit. (nn)

Σχίσσω γὰρ τόσσον πόλεμον χερόν, ὅσσον ἀνάγκη,

Nescio equidem, quid sit inducias pangere, si hoc non sit. Asseverat enim copias in castris continere se (oo) velle, ne hostes exequiis persequendis intenti, ullum accipiant detrimentum. Nec prius ullum suarum legionum impetum pertimescendum esse, quam tempus, quod Priamus funeri ducendo destinaverit, effluxisset. Ac ne quis fraudi locus esset, dextram, certitudinis pignus, offert, seque fide interposita obstringit, nihil damni, nihil doli a suis imminere hostibus debere. Nimirum boni Ducis erat stare pactis, implere promissa, servare aequum sancte denique habere omnes latas acceptasque conditiones.

(ll) Sic Caesar. de Bell. Civ. l. 2. p. m. 261. Induciarum quoddam genus misericordia factum memorat. Similiter Alexander M. gravissime dixit, non se adversus calamitates, sed adversus hostium vires contendere. Curt. IV. 11. 17. Et alibi apud eundem recte affirmatur, fortunam quemque in consilio habere, cum de aliena delibent. Nam ut recte Alexander dixit. Nil tunc in hoste despicitur. Hinc Marius Legatis Bochi inducias postulanti bus annuit, quas Sulla probavit: Caeteri spreverunt, quippe ignari rerum humanarum, quae fluxae et mobiles saepius in adversa mutantur. Sall. Bell. Jug. c. 104. p. 366. Et parva saepe scintilla magnum excitavit incendium. Curt. VI. 3. 11. Ergo semper Princeps cogitet velim, omnia incerta esse, quantoque plus adeptus sit, tanto magis in lubrico se fore. Tac. Annal. I. Huc spectat exemplum Darii, cuius fortuna etiam humillimis in ipsum licentiam fecit. Curt. III. 13. 7. Nempe verum est illud Petronii, totum mundum facere histrioniam. De quo fatorum

*Ludo vid. Nobiliss. et Incomparab. Casp. Barb. ad Stat. Ill. Thebaid. v. 179. (mm) Iliad. Ω. p. m. 884. ex recensione summi Giphanii. (nn) Latine habet: Tenebo enim tanto bellum tempore, quanto iubes. (oo) Hinc ait λαὸν ἐγὺχω, significantissimo certe vocabulo.*

§. XI. Huic pene simile illud ex recenti historia est, quod cum nuper Serenissimi ad Septentrionem Reges, Daniae et Sveciae, armis contenderent, altero vita functo, alter generosae pietatis stimulo incitatus, cum belli iure uti potuisset, ab armorum usu conqvieverit, ut velut in domestico luctu consentire videretur ad inducias. (pp) Omnino huc spectat Germanici exemplum, quo fraude Plancinae et Pisonis (qq) per venenum sublato, barbari hostes, quasi pacti (rr) inducias, ab armis cessarunt, et fama reverentiaque tanti hosti ac tam gloriosi victoris commoveri se, haud obscuris induciis significarunt.

(pp) *Ollieqvist. in hist. Carol. Gustav. Vbi exemplum apud Svetonium in Caligul. adductum, eisdem prope auctoris verbis laudatissima imitatione expressit. (qq) Ipsi testatur Germanicus apud Tac. Annal. 2. Nunc scelere, inquit, Pisonis et Plancinae interceptus, ultimas preces pectoribus vestris relinquo. (rr) Sveton. in Caligul. V. 5. affirmans, Barbaros, quibus intestinum adversus se bellum fuerit, veluti in domestico communiqve moerore consensisse ad inducias. Huc referas exempl. Atheniens. et Lacedaem. apud Thucyd. l. IV. p. 162. de B. P. ex vers. Laurent. Vall. edit. Basil.*

§. XII. Nec difficile est, pluribus exemplis Induciarum confirmare utilitatem. Omnium, quoad nobis iudicare licet, pulcherrimum est, quod Thucydides noster literis mandavit Vbilegas licet, Athenienses cum Lacedaemoniis annuas inducias (ss) pepigisse. Formula induciarum apud eundem extat, quae ut eo tempore magnum ad Rem. Atticam momentum afferre credebantur, (tt) ita tabulis publicis inferebantur, ex quibus eas coram populo Laches recitabat. Populo placebant: Lacedaemonii, nil quod iustum erat, recusabant. Pactorum auctores ab Atheniensibus missi erant, Nicostratus, Nicias, Autocles, militiae duces: A Lacedaemoniis Taurus, Athenaeus, Philocharidas. Ut de horum sociis, Corinthiis, Megarensibus, Sicyoniis et Epidauriis nil addamus. Atheniensium denique legati pacta magna animi religione servaturos, et de quibus inter ipsos convenisset, placitis ad annum usque stare paratos, apud populum spondebant. (uu) Sed Caesar quoque, cuius praeter caeteras Imperatorias virtutes, et egregia semper in bello opera eluxit, et admirandus in consiliis successus fuit, testimonia reliquit induciarum, sed non aequae religiose servatarum, quam initarum. Tanta nempe in hac parte circumspectione opus est, quantum violatae pacitionis damnus aestimari potest. Certe Trebonius, cui belli curam delegaverat Caesar, nimium fidei hostium confusus, inducias per scelus violatas, sero magna suarum rerum iactura didicit. (vv.)

(ss) *l. 4. bell. Pelop. p. 191. Nec minus pulchrum Induciarum pactarum exemplum occurrit eod. libr. p. 153. Vbi et elegantissimam Lacedaemoniorum ad Atheniens.*

ses orationem invenire licet. (tt) Dicitur enim illic loci, quod faustum sit Atheniensibus inducias fieri. (uu) Ex bis iterum inferimus, minus consultum esse ut Principes vel summi duces ipsi conveniant ad ineundas inducias. Praestat enim mitti legatos, partim propter periculum, quod subit Princeps, caput rerum deferendo, et se dando in casum; partim ideo, quod compertum est, parum saepe fructuosos Principum congressus fuisse. Ut plane singulare sit unius aut alterius exemplum, quod bene cecidisse recordamur. Quo nomine iam succurrit Divus Fridericus I. Serenissimus quondam Saxoniae Dux, ac Sacratissimi Imperii Elector, qui cum per inter nuncios non posset praesens cum fratre V Vilhelmo pacem fecit, ut praeter alios refert Piccol. Senens. Europ. Stat. sub Frid. Imper. Huc spectat exemplum Henrici Aucupis, et Ducis Bavariae Arnolphi Mali, ap. Sleidan. p. 225. de Monarch. (vv) l. 2. de Bell. Civ. Idem l. 3. de B. C.

§. XIII. Eodem pertinet, quod Libo et Bibulus a Caesare postulerint inducias et impetraverint, ut ire tuto et redire liceret, neu alter alteri damni quicquam inferret. (xx) Tissaphernes ab Agesilao, cui summam rerum Lacedaemonii permiserant, trimestres inducias petens, adeo non repulsam tulit, ut uterque etiam magna fide se conservaturum iuaret; Sed interea Tissaphernes, ut hominum mores sunt, tempus (yy) atque occasionem doli quaesierat, stante nihilominus pactis Agesilao, ut testis est Corn. Nep. Scriptor gravissimus.

(xx) In Agesil. XVII. 2. Hinc constat, induciis iurato initis non semper esse fidendum: quo pertinet illud Euripidis: Iunavi lingua, mentem iniuriam gero. Ad quod conf. Cic. l. 3. de Offic. Alii, quod hic subindicasse non alienum fuerit, eo nomine formulas fiduciaras et literas fidei publicae, aut solennium conventionum tabulas volunt exauri, quae nec ambigue scribi, nec fallacium dubiarumque conditionum plenas esse oportet: id nisi fiat, amabile fiduciae exuent nomen. Qua de re vid. Dissert. Praef. de Foeder. ad Herodot. institut. (yy) Eodem ferme modo, quo Cnaeus Pompeius ita se dubium semper praestitit, ut temporibus insidiari videretur, ut Velleius loqui amat Hist. II. Qui tamen ut calliditate Caesaris postea deceptus fuerit, annotavit Boecl. ad Vell. Nam cum ille bello Pinatico, et sanctione Legis Maniliae potentiam sibi asseruisset, Caesar per concordiae et affinitatis speciem illi imposuit, ut alibi dixit Praef. Nec facile dixerim, an hac arte quisquam Philippum, Alcibiadem, aut Eumenem antecelluerit, de quibus olim disquirendi occasio dabitur.

§. XIV. Neque silentio praetereundae, quas Cicero (zz) allegat, induciae, ubi cum hostis triginta dierum inducias fecisset, noctu agros vastat, speciosum fraudi titulum praeferebat, quod non ut dierum, ita noctium pepigisset inducias. Sed quis nescit optimarum rerum abusus pessimos? Ut recte dixerit Suffetius Albanus, invictas hostium vires et fortunam non vi, sed iis artibus, quibus imprudentia fallitur, ac dolis et fraudibus facillime everti. (aaa) Haec eo dico, ut intelligatur, imprudentibus nihil bonum, nihil salutare esse, quod bene parta curis atque consiliis retinere nesciant. (bbb)

(zz) *l. i. de Offic. p. m. 469.* (aaa) *Dionys. Rom. antiq. II.* (bbb) *Optime igitur Machiavell. l. 3. Hist. Florent. Fortunae, inquit, malignitas prudentia superari potest.*

§. XV. Quamquam igitur inducias male saepe cecidisse non ignoro, ob eam tamen causam minime negligendas iuaserim. Si vero nullius rei, saltem pacis ineundae spem praebent. Libo certe inducias pepigit, ut de compositione acturus videretur. (ccc) Similiter Thucydides refert, pactis inter Athenienses et Lacedaemonios induciis, utrosque in spem pacis et foederum venisse. Quo pertinet, quod Halicarnassius (ddd) iam olim fidem fecit, Sabinos et Romanos, pangendo inducias, eo devenisse, ut foedere paulo post coirent, et mutuis conditionibus iuriurando confirmatis amicitiam stabilirent. Imo fuisse legas, qui cum inducias inirent, pacis sensisse fructus mihi sunt visi. Ita Volsciones inducias annorum quadraginta pepigerunt. (eee) Venientes (fff) etiam centum annorum inducias impetrarunt, quas dulce pacis nomen (ggg) prae se tulisse, non immerito putabis, si temporis quidem diurnitatem aestimaveris. Idem postquam violassent Inducias cum Romulo initas, bello ad obsequia pristina redacti, inducias quadraginta annis duraturas, denuo petiti venerunt. Tali quoque modo populum Caeritis (bbb) inducias centum annorum fecisse, annalium monumentis mandatum accepimus. Longe plura recenseremus, nisi longum nimis videretur. Vnum adhuc tamen hoc loco memorare iuvabit, quod eo illustrius fore aestimamus, quod ex serenissima Saxonum familia, cuius arcana, et innumeri pro Teutonum Rep. suscepti labores, et salutare ultro citroque habitae consultationes, abditique tantorum Principum sensus, aeternam fore Saxoniae felicitatem hodieque spondent, desumptum est. Nimirum Divus Iohannes Fridericus, ille religiosissimus Principum (iii) priori ab hinc seculo quatuordecim dierum inducias concedi sibi postulavit, ut cum Principibus Germaniae de conditionibus pacis consultaret. (kkk) Sed in promptu quoque est exemplum Divi nostri Ioh. Georgii I. quo animosiores inter Principes gloriosiores inter Heroas, constantiores inter adversa, ac diviniorem Sactorum vindicem Germania non vidit, cuiusque multorum bellorum experientia firmatus animus, plurimis superiori tempore argumentis declaravit, tantam sibi fuisse vim ad vindicandas Augusti Imperii laudes, quantam ne verbis quidem exprimi posse speres, ut qui ea patriae et toti Germaniae praestiterit, quae alii ne votis quidem conceperant. (lll) Sic alio reservamus recentiora induciarum exempla, qualia in actis Belgarum occurrunt, qui anno 1609 cum Rege Hispaniae duodecim annorum inducias fecerunt (mmm) in te nuncio Patre Iohanne Neu. (nnn) Nec finit brevitatis, ut pactas saepe cum Vngaris ac Transylvanis inducias latius referamus. Saltem hic dolemus, nimium saepe temporis Turcarum Imperatoribus, inducias petentibus indulgeri. Id quod olim Oratorem Regis Poloniae, ad Maximilianum Caesarem missum, observasse memini, qui affirmat, Turcas inducias postulare longiores, ut arma in unum Principem convertendo, maiore impetu grassari possint, ea ratione,

si occasio suppetat, reliquos quoque Principes oppressuri. (ooo) Sane nemo hodie dubitat, Turcam cum Inuictissimo Caes. Leopoldo nostro inducias pepigisse, ut fortius premeret Venetos; cui rei argumento est *Candia*, quae tot Turcarum impetus haecenus sustinuit, ut pene sub onere tanto fatiscat. Id enim lex prudentiae requirit, ut induciis cum hoste initis, bellum alio transferatur, et hostis, qui securum se putat, per latus petatur. (ppp) Quod Svecis observatum recordor, qui superiori tempore inducias cum Rege Poloniae initas prorogarunt, ut tanto potentius iis, quos hostes iudicaverant, imminerent. (qqq) Philippus Macedo (rrr) id adeo non ignoravit, ut quaedam bella, pacitione iaterposita, componeret, ut alios facilius aggredereur, et gloriosius vinceret.

(ccc) Caes. l. 3. cit. sup. loc. (ddd) II. 5. Rom. Antiq. (eee) Liv. V. 32. ex recens. Cl. Gronov. (fff) Id I. 15. Dionys. II. 6. qui affirmat, conditiones inittae huius in centum annos pacitionis, autoritate publica in columna incisae fuisse. (ggg) Inducias has vulgo *Tregas* appellare solent; eaeque ut instar pacis habentur, in multo maiori periculo violantur. Fortasse hic non inepte distingvas inter inducias longiores, et longissimas. Illae paci similes, non cum pace eadem sunt. Longissimae parum a pace distant, quales sunt istae 100. annorum. Eodem modo inducias licebit dicere, brevissimas, quae in dies aliquot: breviores, quae in septimanam; breves, quae in annum, aut, quod non nimis excedit, spatium panguntur. (hhh) Liv. VII. 20. (iii) Conf. quae de hoc Magnanimo Principe alibi ad Romul. D. Praeses dixit (kkk) Tom. III. Histor. eor. quae incid. in Imp. Ferd. I. p. 2283. (lll) Imit. Vellei. l. 2. Vbi de Augusto Impete. loquitur, cuius laudes aliquis Rittershusius, aut Buchnerus melius exponat, atque ego. Illius speculum Principis, civiliter boni, ad Sereniss. El. nostrum Iob. Georg. I. anno 1612. scriptum; huius panegyricus, qualis fuerit, testatum faciet. Sed non opus est verbis, ubi rerum testimonia, facinora, victoriae in promptu sunt. Idque latius persequetur D. Praeses in Historia Saxonum, Interim conf. de ei. induc. aliquid infra. (mm) Linck. in Chronol. et Summi ingenii vir, meritorumque in Republicam literariam nomine laudatissimus D. D. Egid. Strauch. in compend. hist. Sleidan. p. 232. Talium quoque exempla in historia Polonica suppetunt. Vnum dabitur ex Mart. Cromer. Rer. Pol. Tom. II. p. 639. edit. Basil. qui induciarum cum Ducibus Silesiae Heinricho Glogoviensi, Scinaviensi et Conrado secundo Olefnicensi et Cossensibus pactarum meminit. Conditio, quam ferebat, haec erat, ut praedicti Duces Calissimam venirent ad Regem, cum eo de exortis litibus damnisque datis transacturi. Sed de his induciis conditionalibus agemus infra. Alias belli Prussici inducias memorat Luc. de Linda, vel ideo minime obliviscendas, quod aeterna eas pax exceperit. pag. m. 953. in Ser. Reg. Polon. quod postrem. exempl. conf. cum (ccc). Ut alios aliarum induciarum scriptores consulto praetereamus: Si solum memoraverimus Iob. Meursium, qui de Induciis libros prudentia referatissimos conscripsit, de quo praecclare iudicantem videas Celeberr. Conring. de civil. prudent. cap. 14. p. 232. (ann) Hanc enim Hispanorum esse

artem,

artem, ut per religiosos interpretes cum exteris agant, vel quod ii specie pietatis prae reliquis arcana tegere, vel sumptibus parcius uti possint, iam diu exploratum est. Huc conf. auct. de Iudic. inter gent. P. II. pag. 236. Sic ut paulo diversa componamus, non ita pridem Serenissimus Rex Galliae legationem facialem mandavit Archiepiscopo Ambrunensi, qui summa pietatis obtentu profitetur, se si per iustitiam et legitimas Regis sui praetensiones liceat, pacis esse cupidissimum, causatus etiam, si fas esset, se sanguine suo superfuso altari (im. Vellei. II. de Cinna loquentis) in quo sibi a DEO pacis auctore character pacis et concordiae sit impressus, spiritum malle reddere, quam belli materiam alere. Nescio vero, an falli Lipsium hic oporteat, dum Solem quempiam ab occidente surgentem praesagire ausus fuit. De Constant. l. 16. Sed id hoc loco alienum est; videamus igitur de sacerdotum in sopiendis seditionibus utilitate. Verum de ea disseruit im Hoff Singul. Polit. R. S. XV. huc conf. Gockel. Cap. XX. de Legat. p. 918. Quo etiam pertinet, ipsum invictissimi Imperatoris nostri Leopoldi exemplum, nuper Archiepiscopum Saluburgensem principalem commissorum curatorem in Comitibus Ratisponensibus designantis. Caeteroquin ideo trahi non debet, ut Clerici ac praesules sibi in res seculi, aut potestates civiles ius quoddam arrogent. Huc Conf. E. Gock. c. 19. de pac. Id iam olim Illustrissimo Hassiae Landgravo VVilhelmo observatum esse, documento epistola est, ad Ser. Sax. El. data, quae extat ap. Thuan. l. 76. quo conf. Polyhistor sine exemplo maximus Io. Andr. Bos. in Ex. Histor. de Pontif. Max. Ro. Vet. c. 4. th. 7. Meliores his fuerunt Veterum nullo revelati Dei sensu imbutorum Pontifices, qui privati semper, nunquam in imperio fuerunt. (ooo) Tom. II. Germ. rer. a Nob. Marq. Freb. 235. Huc conf. Cl. Forstner. Not. Polit. ad Corn. Tacit. p. 88. Venetis tamen ex alia causa foedera et pacem cum Turcis inita salutari esse, idem recte docet in Omiss. lib. sing. p. 28. 29. Eo spectant, quae Renat. de Lusina haec de materia nuper utilissime disseruit. (ppp) Hoc Hispanis usu probatum esse refert Boxhorn. Inst. Polit. quarum limatiorem curam G. Hornio. doctiss. Polyhistori debemus. (qqq) Auct. epit. rer. Germ. ad ann. 1635. (rrr) Iustin. l. VII. 6.

§. XVI. Quamobrem facile est colligere, in pangendis induciis cauto opus esse maxime, ut legi prudentiae cedat lex humanitatis, (sss) prudentiae (ttt) serviant arcana dominationis; haec suffulciat lex iustitiae, (uuu) iustitiam temperet respectus publicae utilitatis, publicam denique utilitatem nihil vincere audeat. Qui igitur iniusta bella constarunt, bello ut subigantur, meruisse se, admonendi sunt. Cum, qui semel nocuerit, semper, si data occasio fuerit, nocere velle intelligatur. Tum vero praestat caute iniuriam vitare, quam per nimiam lenitatem accipere, et spe impunitatis fraudes ac malitiam quorundam fovere. Certe nusquam tuta est fides, pactorumque religio adeo hodiernis moribus exolefcit, ut, ni exempla iustitiae legem misericordiae ponant, vix avaritia cohiberi, aut iniqua bella possint compelli, (vv vv vv.)

(sss) *Humana*

(sss) Humanitatis est nihil denotare petentibus, et tamen aliquando utile est, aut nullius rei facere copiam, aut excindere plerasque gentes, aut earum libertatem penitus opprimere. Quo conf. praes. libr. singular. de Vet. Germ. praetens. Vi maxime igitur graviter dissent Freinsheim. nec vincula humanitatis nec fas naturae rumpendum, nec Dei in hac parte decreta violanda esse; tamen id et prudentiam postulare et cautionem exigere videtur. Immuta equidem Dei sunt decreta, si decreta sunt, si decreta animo recte meremur, si accurate assequimur, si denique decreta in patrocinium iniustitiae non fingimus. Est sibi Deus lex, et nobis regula, gentes, si a sacris ipsius institutis et religione pastorum abhorruerint, aut suppliciiis, aut excidiis ulturus. Similiter sanctum naturae fas est. Sed non committendum est, ut per fas decipiamur. Multiaris nomen laudant, multi fas appellant, ut rem eo magis deestentur. Tum vero nec uno se habet modo illud fas, quod vel praecipendi, vel permittendi notione se offert. Quod si confundas, coelum terra miscebis. Sed et multum damus humanitati, dummodo et nobis expediat, et non pingat fucata quaedam specie crudelitatem. Nam ut fidem multi dant, pauci servant, ita et humanitatem plurimi promittunt, qui sibi quaestiosa, aliis exitiosa consilia agitant. Erit inter exempla Cromwellus, qui cum mitissimi Regis Caroli I. subvertendi causas quaereret, preces pro salute et felicitate eius allegare non crubuit parricida pessimus, et fortuna melior, quam iure. Vid. Bateus el. noc. nuper in Angl. part. I. et Peller. pol. scelerat. cap. 9. Addit. Scilicet premere infesti indicia animi, eorum inter machinationes praecipua ars est, qui et incautos opprimere, et innocentes e medio tollere student. Huc pertinet illa Ioh. Baptistae Lencii observat. Polit. quae II. Forstnero ansam optimi consilii iudicii que dedit. Ut proinde nisi prudentia omnibus rebus intersit, non facile inter bona et mala distinguas, nec quaerenda sunt, recte exequaris. (xxx) Recte hoc monuit Vercingetorix ap. Caes. prodesse aliquando affirmans, si summae diligentiae et prudentiae summa imperii severitas addatur. (xvii) Recte in hanc rem scripsit Craterus apud Curt. VI. quando sciasse, magna facinora ausos (maximum vero facinorum est, iniusta bella movere) venia non posse mutari, quiqve misericordiam consumpserint, amplius sperare non posse. (vv vv) Hanc ob causam Pop. Romanus vel minimam bellandi occasionem adeptus, non prius ab armis destitit, quam hostis vires omni ex parte prostravisset. Exemplum Perseus exhibet, in quo III. Monarchia spiritum, quem in Alex. M. accepit, misere reddidit. De quo vid. libr. Praetens. Imp. Illustrium Praesid.

§. XVII. Verum ratio iterum hic, quae agas, definiat, oportet. Cum enim saepe accidat, ut, qui sperare nihil possunt, rerum molem, cui impares sunt, fato permittant, ac per ignes ferrumque id petant, quod precibus non possunt (quandoquidem desperatio magnum saepe ad honeste moriendum incitamentum fuit xxx) consultum esse iudicamus, ut Princeps salutem Reipublicae tueatur, iam ut prudens, ne dolis circumveniat; iam ut fortis, ne bellorum pro Republ. gerendorum pericula extimescat. Tum efficiat, ut non magis sit misericors, quam iustus,

Hhh hhh

stus,

stus, recordatus, imperia primum armis quaesita, armis tenenda esse. (yyy) Igitur pro re nata utile fuerit, nec plane inducias negare, nec tamen concedere, ut longiores sint, ne hostis tanta libertate abutatur. Sane Batavi hodieque ignavas Induciarum moras detestantur, et se nimis fuisse liberales, queruntur, sero expedentes, breviori temporis spatio initam illam cum Rege Hispaniarum pacitionem circumferibendam fuisse. (zzz) Nec Turcae (aaaa) alio consilio sua moderantur arcana, optime sibi conscii, continua bella etiam timidis animum addere, paulo vero intermissa, et induciis quasi interrupta, ut generosi quoque animorum impetus relanguescant, facile efficere. Nec falli eos, tristis saepe experientia non sine magno omnium dolore approbavit. Est igitur certum Induciarum tempus constituendum, sed non nimis longum, ne hosti opportunum, nobis inutile atque exitiosum fiat. Vendum enim est fortuna, cum indulget, nec ad nutum labefactati hostis, cursus victoriae abruptus. Hae igitur partes Principi a Deo Immortali datae sunt, ut timeat: hoc decus accepit, ut caveat, ut defendat: hanc spartam ornet: hanc dignitatem tueatur. Et erit mihi PRINCEPS. (bbbb)

(xxx) Sic Caesar magis consuetudine quam hostium merito benevolum se exhibuit. l. 2. de Bell. Gall. Scilicet recte olim Philippus dixit, spem gratia cito abrupte, ad bellum civile properantium esse. Curt. X. (yyy) Hanc ob causam Velleius Pansae et Hirtii consilia laudavit, quod ita suavis Gaius Caesari l. 2. hist. Eodemque modo Augustus, temporum callidissimus, Moecenatis consilium probare maluit, quam Agrippae, quorum ille Principatum armis partem retinendum; hic Po. Romano reddendum esse censuerit. Conf. Stirn. tit. 3. de Leg. Reg. Nomoth. (zzz) Forstner. hanc ob causam persto, inquit, firmus in eo, plus Hispaniae Regem contra foederatos Batavos duodecennialibus induciis, quam quadraginta annorum bellis profecisse. Omiss. ad Tac. lib. sing. p. 8. Et recte non nemo apud Abrah. Golwitz. Geogr. p. 195. ait. Nocuere olim nimis (Batavis) ignavae induciarum morae, et quantum nocuerint, sensere, ut nunc detestentur. Consentit Summus Orator Batavus, dum ait, continuum Batavorum cum Hispania Bellum duodecim annorum otio semel male dilatum fuisse, ut maius et atrocius resurgeret. Orat. V. de Belg. pace conf. id duq. Polit. cas. 4. et Trut. Stal. Europ. ubi pleraque ad hoc institutum attinentia invenias. (aaaa) Forstn. Polit. ad Tacit. p. 38. Hinc recte Campanella, Magnum, inquit prudentiae argumentum est, vicinos in armis non diu detinere, ne exercitati et strenui evadant. Id observari, fortasse profuisset Septentrioni. De Monarch. Hiss. c. 27. Nec a Rege prudente alienum est, at moram subinde magis, quam bellum metuat, ut bene ex Liv. cit. Lips. l. 6. c. 7. pr. (bbbb) Nempe Magnatum hic Symbolum sit: Fallimur opinione. Quod exposuimus in exercitat. Mor al. ad Saaved. Symb. Polit. 46.

§. XVIII. Nunc demum idoneum mihi visum est explicare, qua cura atque circumspicione salutare induciarum leges recte inveniuntur. Vbi quidem optandum nobis esset, ut tantum spatii suppeteret, quantum argumenti. Nihilominus, ut eo,

quo coepimus, transcurfu omnia exponamus; ex aliis necessarium ducimus, ut nulla pangantur induciae, nisi evidens nostrarum partium utilitas subesse deprehendatur. Dehinc mature caveatur, ne inducias petens, specie amicitiae dolos intendat, aut praetextu calamitatis, causas opprimendi comminiscatur. Si liceret exemplis rursus institutum interpellare, ostenderemus facile plures fuisse, quibus nulla religio fuit, foedera militaria utilitate, non fide sancire. Talis perfidiae damnati sunt Massilienses, (cccc) qui induciis per scelus violatis, Romanorum pietati illuferant. Nec melior Veientium (dddd) fides fuit, quibus iusiurandum, quo Romulo obstricti fuerant, adeo non fuit curae, ut eo etiam fraudes atque scelus tegere non erubescerent. Sed nemo erit, quem fugiat barbarae perfidiae exemplum. Nam tamen si Turca superiori tempore inducias cum Hungaris ad annum usque 1662 duraturas pepigerat, tamen eas contra conventorum fidem, et contra ipsum fas gentium, impia levitate rescidit, et quam sancte pactiones habeat, nimis manifestum documentum posteris dedit, et qua cautione Sacratiss. Imperatori nostro Leopoldo in hac parte opus sit, admonuit, quem anno 1664. novas cum Mahumete IV. fecisse inducias accepimus.

(cccc) *Caes. l. i. B. Gall.* (dddd) *Dionys. et Liv. sup. cit. loc.*

§. XIX. Tum vero expendatur, an pactis induciis, hostis ad pristinam redire potentiam possit. (ecce) Huc pertinet, ut non modo iureiurando hostium fides devinciatur, sed obfides etiam postulentur, et finitimi (fff) per quos ut plurimum conciliari foedera solent, fidem suam interponere iubeantur. Ad haec eorum, qui inducias pangunt, salutis, publicae fidei diplomate, (gggg) aut codicillis ac tabulis ad eam rem factis caveatur. Nec omiserim id Principi meo semper in aurem dicere: nemini ad desperationem dandam esse occasionem. Nam et haec pessimis saepe initium fuit salutis, et maioris spei occasio, et multos ad res impie audendas stimulavit. Qui enim nihil potest sperare, desperat nihil, ex mente Veteris Tragedi. Proinde mirari subit Romanos, praeter caeteris gnaros, quando aut arma capessenda, aut intermittenda essent. Nec diffiteri hoc potuit Asdrubal, qui eos plus parendo victis, quam vincendo, imperium auxisse affirmavit. (hhhh) Eo se tamen nolim inducias utilitati hostium servire, monuisse contentus, rationibus, quas prudentia suggesserit, omnia haec esse definienda, ut ne quid nimis fiat, aut parum. Multo minus negligendum est, ut simulatque de Induciis conventum est, eo maiori cura de acriter mox instaurando bello cogitetur, et militi de comiteatu, missilibus, tormentis et pyrio pulvere abunde provideatur. (iiii) Praeterea in eo laborandum, ut hostibus tuto quidem eundi et redeundi potestas concedatur, (kkkk) sed ea lege, ut nec in castra, nec in minutissimas Vrbes admittantur. Enimvero prodita legas exempla eorum, qui sancto Induciarum iure abusi, hostes spe securitatis deceptos immane quantum ludificati sunt. Id cum Selgenes, ut par erat, non observarent, parum ab exitio abfuerunt. (llll) Illud quoque ex Annalibus Teutonici-

Hhh h h h z

cis

cis superiorum temporum constat, equites Cataphractos Gongazae, Ducis Navarrensis, praesidia in oppido Charitum disposita, per speciem nescio cuius benevolentiae oppressisse. (mmmm) Nec dubitavit Philippus praetextu induciarum hostis consilia eludere, et speciosum fraudibus titulum praeferre, curam militum sepeliendorum, ut aufugiendi caperet occasionem. (nnnn) Propria vero haec Romanorum laus fuit, quibus pacta etiam cum Barbaris inita (oooo) sancta semper fuisse, animadvertamus licet. Proinde etiam factis cum Porfenna induciis, hostes ad ludos Circenses in urbem admiserunt. (pppp) Sed neque hic alienum foret, edisserere, quomodo inducias petentibus certae sint ferendae conditiones. Id praeter reliquis foederatis Bataviae ordinibus observatum est, qui prius de induciis agere noluerunt, quam Rex Hispaniae et Archi Duces Austriae iuri suo, quod in eos praetendebant, renuntiassent. (qqqq) Imo et curae esse debet, inducias concessuris, ut vel pecunia ab hostibus redimantur, vel certa earundem arrha constituatur, ne temere beneficium tribuisse videamur. Quanto enim id usui sit, vel ipsis Turcis iam diu compertum est. (rrrr)

(eeee) Quo quidem casu aut extremis malis extrema remedia adhibenda, aut induciae exigui temporis, quo hostis vix habeat facultatem colligendi vires, sunt concedendae. (ffff) Cum enim ex dignitate belligerantium sit, per alios inducias conciliari, ut famae, cuius magnum in bello momentum est, utrinque sibi consulant, ac neuter eorum tam expetuisse inducias, quam consensisse in eas videatur: Iustum est, eorum interponi fidem, qui hanc sibi delegari curam passi sunt. (gggg) Tales fidei publicae tabulas supra dedimus ex Thucyd. et Scriptor. German. (hhhh) Liv. XXX 42. Hinc peccavit Eroto, Rex Daniae, quem Induciae contra ius fasque simpliciter abnuisse, refert Crantz. (iiii) Recte Boxborn. noster ait, foederum militaria non aliter, ac bella, debere aestimari, quia per foedera hostes in se grassentur, licet sine armis. (kkkk) Vulgo commeatus dicitur, quo sensu etiam Iustinus et boni auctores hac voce uti consueverunt. Estque licentia ad tuto eundem et redeundum certis personis concessa. Eam ob causam ius commeatus semel concessum exigit, ut praestentur itinerae damna. Id enim fieri debere ius gentium dicit, ratio sana suggerit, iubet necessitas, populorum denique cordatiorum mores confirmant. Huc pertinent literae commeatus, (illustris Gislebertus de VVit in Orat. ad viduam Ioan. IV. Regis Lusitaniae habit. Syngraphum liberi abitus dixit elegantissime,) quarum iure denegarum exemplum in Rege Daniae reperias, qui tales legatis Pii IV. Pontificis ideo non concessit, quod ab ipso nec auditus nec convictus, pro haeretico haberetur. Stirn. Nomotbes. tit. XII. (llll) Polyb. l. V. (mmmm) Tom. 3. rer. gest. sub imp. Maximilian. p. m. 2526. (nnnn) Liv. XXXI. 38. (oooo) Huius rei exemplum praebuit Iosua, qui etsi totum reipubl. Israeliticae Dei precepto se dedit, tamen ut foedus cum Gabaonitis ictum rumpere, nec verbis commoveri speciosis, nec ulla persuaderi ratione potuit. Huc conf. cap. Ios. IX. (pppp) Eoque ludicro Circensico impensus duces et iuvenes delectabantur, quod ad usum belli

trastu

*tractu temporum verteretur. Liv. XLIV. 9. (qqqq) Huc spectant, quae differit auct. de iud. inter Gent. part. 2. s. 7. p. 7. (rrrr) Sic Legatus Turc. Imperatoris a Maximiliano flagitavit, ut pro arrha induciarum quotannis tricenam millia solidorum (ducatuum) penderet. Tom. III. eorum quae incid. in gubernat. Ferdinand. I. p. 2090.*

## CAPVT II.

**S**uper sunt monita quaedam, nec inutilia, et praesenti loco peropportuna, vel eam ob causam dictis subiungenda, quod aut ad superiorem explicationem pertinere, aut prudentiae civilis interesse nobis videantur. Vbi omnium primo venire in disquisitionem posset; an, dum de pangendis induciis agitur, omnes bellorum actus simpliciter intermittere sit consultum, ut tanto facilius salubri huic pacto praepararentur dissidentium animi? Auctor Secretorum, quae vocat, Ottomannicorum, (a) hoc suadebit omnino, qui inter causas belli cum Turcis continuati id refert, quod Maximilianus per illud tempus, quo de pace componenda tractatum fuerat, Albam Regalem insidiis occupasset, cum iis rebus factum fuerit, ut Turca ne audire quidem ulla faciendae pacis consilia voluerit. Verum in hac causa aliter de iure, ac de prudentiae lege, erit existimandum. Multa facere per fas gentium licet, quae facere, prudentiae vetant praecepta. Notum alioqui publice est, Batavos (b) nuper summo belli iure Classem Britannicam tunc afflixisse maxime, cum Bredam venissent Legati de pace revocanda acturi. Recte Summus Boxhornius, (c) Ante initum, inquit, foedus hostilia consilia esse debent; post initum amica conspiratio. Enimvero quamdiu nondum facta pactio est, tamdiu id integrum erit; cum nisi haec praecesserit, nulla contrahi obligatio, nulla iniici animo religio, nullum connecti iuris vinculum possit, quod te vel adstringat, vel intra certos limites, quales conventorum sunt, coerceat. Cautio ergo hic opus est. Quamquam belli fortuna attrito id vix suaserim, nisi evidens appareat utilitas, quae ita pristina sarcire damna, acceptasque pensare clades possit, ut induciis supercedere in posterum liceat. Illi vero cui prospere bellum cessit, eo hoc facere consultius est, quod victorias continuare, nullum ius armorum, nullum fas gentium, nulla pietas prohibeat.

(a) cap. 68. edit. anno 1620. lingua vernacula. (b) Id et publica acta non ita pridem, et novi Belgarum annales dilucide testantur. Britanni enim cum Belgas pacis avidissimos esse cognovissent, nil ab iis periculi imminere posse, iusto confidentius censuerunt. Sed dum ita seu incauti, sive securi agunt, magnam et classis suae et existimationis publicae iacturam faciunt, posteris documento futuri, nunquam magis sollicitum requiri partium dissidentium animum, quam cum de componendis bellorum dissidiis laboratur (c) Inst. Polit. l. 1. cap. 13.

§. II. His consequens est, ut pacturos inducias moneamus, ad vires hostium advertant animum, consideraturi, quantum ab illis sibi sit timendum. Nam tamen neminem lateat, inducias iure gentium concedi, quod et bella gerentium

utilitati inserviant, et ratione naturali nitantur, et tacita cultiorum gentium confessione approbatae esse intelligantur. (d) Tamen accidere potest, ut quemadmodum circumstantiae et rerum agendarum occasiones variant, ita non cuivis concedi induciae debeant. Quid igitur quaeso, superiori tempore adegit Batavos, ut cum Hispanis in inducias consentirent? Sane ius gentium ut cum iure imperii concilietur, alterum cedere alteri debet. Facile autem augurari Batavis licebat, hostes per otia induciarum et collecturos magis vires, et iis elapsis, acrius instauraturos esse bellum. Non dicam, quomodo expeditionis Indicae per id tempus siterint cursum, et in discrimina certe inciderint plurima. Subiit hic recordari consilia Regis Galliae hoc anno suscepti, inducias, quas Hispani petebant, nec simpliciter repudiaturo, nec tamen sine cautione recepturo. Nimirum Christianissimi Regis arcantum erat, prius non admittere inducias, quam Hispani fidem dedissent, in iustam et sibi honorificam, et a postulatibus non omnino alienam pacem consenturos. (e) Recte prudentiae consultissimus Boxhornius iuvat, inducias facturum intelligere debere, et quantum differat sibi, et quantum interea temporis hostis possit exequi. Omnes, inquit, intutae induciae sunt, post quas denuo et atrocius exoritur bellum, cum belli tantum sint meditata. Intempesivae etiam induciae illis gentibus sunt, quae hactenus felices, earum ratione laeae, tantum cursum sistunt felicitatis. (f) Nec tamen negaverim, saepe quasi praecordia pacis esse, et utile restaurandae concordiae instrumentum. (g) Prudentibus ergo haec dicta sunt, quorum interest scire, et quid expediat sibi, et quidnam quadret ad praesens. Hoc nil cum simplicitate, nil cum stoliditate commune habet.

(d) Exigente utilitate publica, induciarum hoc sanctissimum institutum coepisse, manifestum est, quod et per eas alterius calamitati subveniatur, et devictorum miseriae consulatur. Tali pacto Vologesen petiisse inducias testis est Tacit. Annal. XV. p. m. 268. Nam licet eas nec natura praecipiat, nec prohibeat; tamen ab eo tempore, quo bella geri coeperunt, omitti non possunt; quandoquidem nec summo semper uti iure expedit, nec omnem denegare misericordiam, pius videtur, nec alterius procurare excidium, iustum apparet; praecipue si et faciendae reconciliationis, et pensandorum belli sumptuum non plane nulla spes affideat. Itaque et consilia et rationes omnes ad humanitatem, quoad eius fieri potest, referant Principes, et quod ipsi expetere rebus adversis possunt, secundis nemini denegent, Serenissimi Electoris Divi Iob. Georgii L. exemplum imitaturi, qui et concessit, et accepit inducias, ut ex Tricennali belli monumentis, quibus eius immortales virtutes et ad aeternam posteritatis memoriam insignes, conditae sunt, clarissime apparet. Ceterum quam sancte armistitium habuerit, quam religiose inducias coluerit, velex literis anno 1647. 6. Nov. ad praefectum militiae Svecicae datis colligere est. Quae cum praeter alia, publicis inserta sint annalibus, frustra Principem omni laude maiorem, laudare ingredior. (e) Pax, ad quam digitum hic intendo, hoc anno inter Sereniss. Galliae et Hispaniae Reges co-

luit,

luit. Quae si fortasse non utilis Hispano, tamen civibus Belgii nonnisi pace florentibus salutaris, Caesari invictissimo subinde expectata, Illustrissimus Sacri imperii Senatoribus accepta, Gloriosissimo Electori nostro Iohanni Georgio II. publico laetitiae argumento inter tormentorum fragores tympanorumque strepitus solennia mereri augustissima visa est. Nimirum haec summi Principis pietas est, quam et attonitus miratur terrarum orbis, nec, nisi ipsa malitia criminatur. Ut vel eo solum nomine (quis enim reliquas augustissimas virtutes percenset) dignus fuerit, cui Deus immortalis et Caesarum eligendorum arbitrium daret, et excelsissimum in Sacratissimo Imperii Senatorum Concilio fastigium tribueret. Nec audaculus ille et personatus Prosopographus: VVaremundus Sincerus, tanti et tam augusti Principis tacere laudes potuit. Maiestatem, inquit, ut decet, veneratur imperatoriam: Vicinitate innoxia gratus est Principibus. (f) Haec innuere mihi videtur Hornius O. P. part. 2. fin. Gustavus VVrangel, inquit, cum feliciter in Austriam et Bavariam irrupisset, ac Caesareanos passim debilitasset, primo ad inducias; deinde ad pacem rem deduxit. Huc spectant induciae Mazarinii, summi nuper in Gallia sanctioris consilii, arcanorumque imperii Administrum, qui eodem pene instituto paci proluxit.

§. III. Hic etiam, nisi ea de re iam antea aliquid monitum esset, expediendum foret, an ei, a quo inducias pacifici constitutum alteri est, dari obsides conveniat? Quod fieri oportere, et ratio svadet securitatis, et infinita ostendunt exempla. Talem in modum Elector Mauritius (b) cuius coelo receptus animus, virtutis in terris aeterna memoria est, Magdeburgensibus, vadibus nomine Caesaris datis, inducias conservaturum se, confirmavit. (i) Quale tamen hic latuerit arcanum, nomen prudentiorum fugit. Similiter et Romanos dedisse obsides, iam supra est monitum. Sed ea obsidum datio non eo valet, ut a religione sacramenti et data fide liberet. (k) Interim de Induciis inter Ducem Albanum et Pontificem initis scribit Natalis Comes, (l) ad captionem ac fraudes comparatas fuisse. Neque inquit, ullae fere sunt induciae fieri solitae, nisi ad fallacias, cum modo fiant ad prodiciones commodius instruendas, modo ad resumendas vires, ut promptiores paratiorisque possint insurgere. Quo Lyfandri refert facinus, causantis, a se dierum, non noctium pactas fuisse inducias. Eoque spectant induciae ad exitium pene Mediolanensium pactae, quas Lib. VI. H. Fl. memorat Scriptor Florentinus. Hoc arcanum Protonis, Regis Daniae exposuit nobis Alb. Cranzius I. Vandal. IX. Eumque imitatione expressit Henricus IV, Rex Galliae, a rerum, quas gessit, incredibili fama Magnus appellatus, qui ne hosti, Sabaudiae Duci, spatium daret colligendarum virium, inducias, quibus saepe ali pertinaciam acceperat, denegavit, prout doctissimus rerum civilium Ioannes Schridelius obs. ad diss. V. Boxhorn, ex Pet. Matt. refert. Nec omniserim huc referte, Pharsmanem, etiam pactis induciis, filium Rhadamistum (cuius elegantem cum Solimanno Turcarum Imperatore, comparisonem exhibet Annibal Scotus ad Tac. Annal. XII, p. 472.) monuisse, obsidionem, qua per religionem

conven-

conventorum decedendum fuerat, continuaret, et oppugnationem Castellum Mi-  
 thradatici acceleraret. Haud diversum fortasse Moschorum Imperatoris institu-  
 tum est, quem vergentis huius anni mense eum Tartaris et Cosacis inducias pactu-  
 rum, exactorum monumentis publicis accepimus. Sed ut iis haecenus defuit suc-  
 cessus, ita clades alteri parti certe non defuit. Afferitur quoque Turcam hoc tem-  
 pore (si vera tamen fama est) consilia induciarum cum Veneta Rep. pangendarum  
 agitare. Quae quo spectent, nemo non cordatorum intelligit facile. Verum enim  
 vero a pravo et vicioso quorundam more ad rem ipsam summovendam, ineptus sis,  
 si colligas. Quid? quod ea ratione nulla societas, nullum probandum foedus es-  
 set. Monebit, opinor, Machiavellus, inducias a Nicolao Piccinino, ducis sui no-  
 mine factas, primo initia, mox firmamenta pacis fuisse, l. VI. H. Fl. Igitur cum  
 laudamus inducias, prudentibus earum committi iudicium volumus, qui et recta  
 versare consilia, et salutare publicarum rerum inire rationes possunt. Tum vero  
 Comes ille Venerus ut alias iudice Arumæon (m) parum dextre iudicat, ita perpe-  
 ram inducias imputat, quod Pontificis perfidiae imputatum oportuit. Fecerant Ca-  
 rolus V. et Henricus II. Galliae Rex inducias. Uterque servaturum se, sponde-  
 rant. Sed regiam fidem pontificis astus mutavit, dicam, an vicit. Hortatur, rum-  
 pat inducias, quibus non nisi insidias ipsi structas intelligat. (n) Imo praefectum hoc  
 Pontificis facinus est, unde non parum turpitudinis ad purpuratos redundat patres.  
 Scelus erat, nulla victima expiandum, nulla unda eluendum, cum Vladislao ad vi-  
 olandas inducias dux atque auctor esset. (o) Nam quis eum in rebus seculi dedit iu-  
 dicem? Quis arbitrum negotiorum civilium constituit? ineptioris, incertum, an  
 superbioris ingenii argumentum fuit, cum pacem in Augustis Comitibus factam, ha-  
 bere ratam noller. (p) Nimirum sumit sibi, quae non habet, rapit, quae Deus o-  
 dit, Principes averlantur.

(h) Invehitur in eum Comes Venetus, Campanella, et omnes, qui studio par-  
 tium ducuntur digni, qui in conspectu publico erubescant. Sed erubescunt. Tam efficax  
 est veritas. Salva igitur res est. Afferit eius laudem atque immortalam gloriam Frid.  
 Hortleder, et natus vindicandae Domus Saxonicae existimationi Ioh. Sleidanus, ele-  
 gantissimus inter Germanos Historicus, iudice Hortled. et Boeck. in Musæo. (i) Tom.  
 II. Gest. Carol. V. (k) Nam obsides sunt quasi accessiones quaedam, quibus non tolli-  
 tur, sed firmatur obligatio princeps. Id si libet, contondat licet cum fideiussione,  
 quae ad cavendum efficacius principali accedere obligationi solet. Huc conf. Ayala et tr.  
 de iud. inter gent. p. 448. (l) Histor. Univ. sui temp. l. 10. ad A. C. 1556. (m) ad A. B.  
 d. c. d. 7. Huic suffragatur Frid. Hortleder in dup. Iurid. Politic. pro defens. Patr.  
 libertatis et pac. p. 11. quae extat in Pol. Imperial. Goldasti part. XXXI p. 1375. Simile  
 alibi de Lazio iudicium Praeles dedit cum institutum de praetens. Cimbrorum et Teu-  
 tob libro singulari persequeretur. (n) Sic Legatus Pontificis ait in regio confessu. Quod  
 si quis inducias mihi obiecerit, ego longe bellum esse anteferendum huiusmodi insidiosis  
 indu-

induciis contenderim, quae multo magis, quam apertum bellum sunt periculosa. His non multo post subicit, probabilem iam defensionis Ecclesiae occasionem oblatam esse, polliceturque, Pontificem auxilia summisurum. Hem praeclarum monitorem: hem tyranidis machinatorem, et perfidiae instigatorem. De hac tyranide praeclarissime vir Summus et de studiis cum divini, tum humani iuris, omnisque prudentiae immortaliter meritis D. Caspar Zieglerus, Patronus, Hospes, Praeceptor submisit semper honorandus latissime in Notis ad iura Canonum publice exposuit. (6) vid. tract. sub tit. Turcar. art. et arm. ubi allegat auctor, Iulianum Purpuratorum Pontificis praecipuum fere his argumentis ad persuadendum esse usum. Non debere eos illi foederis poenitere, qui a Graecis ad novam expeditionem invitentur. Sacramenti vinculum, quo Turcis obstringantur, rumpi debere tanquam infidelium: iniuriandum illud contra Christianae Societatis incrementa editum nulla vi obligandi praeditum esse: tum nec inconsultis fratribus, et invito Pontifice cum barbaro hoste sanciri foedus posse. Leges servari debere usque ad aras. Praeservent igitur nomen sanctissimi Patris amicitiae pessimi hostis, et quantum ad delendum Turcam properarent. Intereffe hoc Christiani orbis, et fore ex dignitate Regis. Suppetere milites rerum bellicarum peritissimos: a tergo munitissimas civitates relicturum, a fronte omnia victoriae futura. Tormentorum, glandium, armaturae satius esse. Principes quoque assuturos, de commatu et stipendiis una opem provisuros. Praestare denique quidvis facere, quam Turcarum libidini, feritati, avaritiae inservire, et committere ut latius Ottomanica superstitio grassetur. Pugnaturum Regem pro communi Christianorum salute, pro aeternitate regni, pro securitate publica, pro aris et focis, pro diis penatibus, libertate et honore Ungariae, pro legibus et libertate Graeciae, pro liberis denique et coniugibus, quibus, Rege vita functo, a Barbaro multa pericula imminant. Facunde satis, si satis iuste. Nobis sententiam Purpurati verbis is proferre libuit, quae locutum res ipsa suggerit. (p) Nimirum sanctio illa VVestphalica anno 1648. facta, tam male habuit pontificem, ut ad ratam habendam nullis adduci rationibus voluerit. Quam dum irrimam pronunciarat, omnibus ludibrio fuit. Nec immerito, quod binis vicibus contra obstaretur; primo quidem Innocentius X. per interpretem Fabium Chisium. Deinde hic sub nomine Alexandri VII. quod in locum Pontificis inaugurato impositum fuit, per internuncium Scipionem de Comitibus nullam declaravit Pacem Augustam. Sed pretium non tulerunt aliud, quam aut impudentiae labem, aut notam incipiarum. De illo festive invictissimus et angustissimus Divus Imperator Ferdinand III. Haec bel tempo, Signor Nuntio il Papa, perche Donna Olympagli rassa il capo per farlo dormire. Vid. descript. Vit. Olymp. Mald. p. 146. 147. Epistola, quae praedictam sanctionem irrimam pronunciat, et iniquam, extat in scripto, cui titulus est, Syllog. Orb. Terr. Praelic. 20. 1665. Hamburg. edit. Sed haec atque talia ex actis temporum publicis non possunt non constare.

§. IV. Sed nunc unum praeferunt induciae ingenium. Aliae sunt in rem, aliae in personam. Haec cum persona extinguuntur paciscente. At multo secus illae se habent, quales fuerunt Romanorum, inducias sine mentione personae in centum aut plures annos paciscentium. Si vero versetur in dubio, notione rei, an personae definiatur pactum. Iudicandum erit ex verbis formulae pacti comprehensis, quali illa sensu veniant, quique germanus vocum sit significatus. Dehinc pro diverso regnorum rerumque publicarum statu, vel pro re, vel pro persona praesumitur. (q) Sunt etiam, qui doceant, inducias alias expressa, alias tacita conventionis initas intelligi. Verum huiusmodi induciae, quas ex tacita pacitione aestimant, omni obligandi effectu carent, ac induciarum quidem nomen obtinent, sed vim non assequuntur, ut praeclarissime nos monuit D. D. Ziegler, in Disp. supra laudat. thes. 31. Sed vero nec omnes induciae pure ineuntur, sed quaedam etiam sub conditione, quae iterum variare potest. Harumque si recte recordor, exemplum praebent civis rebelles oppidi San Iani Angelii, inducias ad X. dies sub conditione paciscentium, ut in rer. Germanic. superior. secul. Volumine est. Vbi Doctores morum dispicere solent, an induciae a duce pactae, Principem, cuius ille auspicio bellum gerit, teneant? Nos id breviter componemus. Nam duces maiestate destituti (contingere alioqui potest, ut ipse Princeps auspicio ductuque proprio adsit bello) vel habent ex concessione Principis liberam de ineundis belli foederibus potestatem, vel praefinitam, aut circumscriptam. Si constet, illam Duci datam esse, res extra omnem erit controversiam, licere Duci, uti visum ipsi est: si equidem utile aut necessarium fuerit, pangere inducias. Sin vero ea permessa non fuerit, spes rati, Duci asylum erit. Nam rebus ita stantibus, in eas nisi sub conditione consentire non potest. Si enim Princeps urgeri molem belli velit, nec sponsonem sub conditione datam, esse ratam iubeat, haud dubie nulla est illa induciarum pactio. Sed si Princeps eo tempore, quo induciae panguntur, taceat, non sine causa dubitandi erit ratio, an ex isto silentio colligere liceat, ratas Principem inducias habuisse? Certe si nec longiori disiunctus loco sit, et suppetant argumenta, initas pacitionis famam ad ipsum perlata esse, ac silentio alii accesserint actus, unde saltem verosimiliter de voluntate habendi ratum constare possit, standum a parte affirmantium haud ex vano putaverim. Sin vero ad silentium alii actus aggregati non fuerint, unde rati indicia praebeantur, non est, quod soli silentio in hac causa innitendum existimes. (r)

(q) Ern. Gockel, de foeder. cap. 17. p. 773. Ill. Grot. de Iure B. et P. II. XVI. 16. pag. edit. noviss. 234. (r) Egregia hic quoque notat Ill. Grot. II. XV. 17. p. 276.

§. V. Exiis, quae proxime monita sunt, deducimus, omne id quod pactus fuerit inferior, cum exceptione superioris intelligendum esse; quippe cuius potestati inferior subiectus, non potest non ad illius voluntatem se componere. Iam sequitur, ut exponamus, quando demum induciae obligent, Quod, data brevita-

tis fide, succincte dicere nos iuvabit. Certum enim habeo, statim a tempore initi contractus, suam esse vim obligationi. Simulatque enim hic absolutus fuerit, partes contrahentes sibi invicem tenentur ex contractu. Ac quidem de partibus paciscentibus res minime dubia est. At cum quaeritur de iis, qui paciscentium potestati subiecti sunt, dicendum iudicandumve erit, hos prius obligari, quam pactionis formula promulgata solenniter fuerit. Etsi enim sanctio Principis naturam constituat legis, non tamen ita absolvit, uti ea in genere morum requiritur: ubi et evidens et certa et sufficiens actionum civilium regula, faciendorumque et omittendorum indubitata esse debet norma. Quod si vero nec publice edita, nec solenniter promulgata fuerit, vim legis, obligantis cives, assequi nondum videtur, quia cum Princeps per legem a se constitutam, sensa sua atque voluntatem aperire vult civibus, curare debet, ut solenni promulgationis ritu pro cuiusque territorii more, ad eorum, quos tenere debet, notitiam pervenit, ita ut nulla pro ignorantibus sit praesumptio, nulla pro dissitis locoque disiunctis valeat ratio. Nam per quod actio dirigi humana debet, ita ut certi aliquid fiat, et contrarium omittatur, id quis non debet nescire. (s)

(s) *Iob. Paul. Felvring. de Leg. th. 99. p. 292. seqq. Conf. Eustach. a Sancto Paul. tert. part. Eth. tr. 3. quaest. 7. Abr. de Rac. membr. de iure et leg. tert. idque colligitur arg. Arist. Eth. 10. cap. ult. ubi notandum, satis esse ad promulgationem, si in communi ea facta fuerit, ita ut sine difficultate innotescere omnibus potuerit. Huc conf. H. Nicolai Exercit. Eth. VI. de legib. Proinde si per culpabilem quorundam negligentiam acciderit, quod in partem notitiae non venerint, nullus excusationi locus erit. Idcirco receptum est, ut ignorantia affectata scientiae comparetur, l. 11. §. 3 ff. de instit. act. Similiter ignorantiam facti publice noti relevare ignorantem non posse, constat, cum praesumatur, quemvis id scire, quod publice scitur. Idem de supina ignorantia iudicium l. 15. §. 1 ff. de contr. empt. Sed de ignorantia iuris ideo magis liquet, quandoquidem hoc ex ipsis primorum naturae principiorum fontibus hauriatur et fluat, si de iure naturali fuerit sermo, quod omnes in universum obligat homines. Sin vero de iure constituto, quod positivum dicunt, multo aliter iudicandum est. Sed id latius exequi iam non vacat. Itaque praeter alios consentur Iter. Philos. Moml. l. 2. cap. 4. axiom. 5. Ioan. de Salas tract. de leg. quaest. 96. tr. 14. disp. 15. §. 9. et alibi Paul. Laymannus Theol. Mor. l. 1. tr. 2. cap. 4. seqq. I. F. Horn. c. 5. th. 27. de iur. N.*

§. VI. Caeterum illius temporis, quo induciae definiuntur, tam favorabilis ratio est, ut produci id debere, multa quae svadeant, in promptu sint. Quoniam enim induciae et cessationem a bellicis actibus denotant, et remedium mitigandae alterius partis miseriae continent, et ipsi denique humano generi parcunt, temporis, ad quod porriguntur, nota favorem pro se habet. Ut vero tempus in pactione induciarum numerandum recte exponamus, interpretandum ante omnia est, tempus esse vel continuum, vel mentione termini descriptum. Ibi ut

a momento ad momentum numeratio fiat, et ratio exigit conventorum, et ipsa pene svadet natura, et maximus induciarum, quibus humano sanguini pareitur, iubet favor. Esto igitur: dixerint partes contrahentes. Pactas inducias in viginti quisque annos servanto: pactio illa demum ultimo anni vicefimi momento terminari intelligitur, ita ut eo nondum elapso, tempus induciarum nondum censeatur completum. Propterea hic non tam dicrum civilium, quam momentorum exacta observari numeratio debet. E diverso si tempus inducias praefinitum, mentione termini notatum fuerit, pronuncian dum est, favori induciarum convenire, ut spatium temporis, quo definitur, inclusum censeatur. Proinde si inter pacifcentes ita convenerit. Induciae usque ad Idus Sextileis duranto. Terminus Iduum pactioe comprehensus intelligitur: id quod eo minorem habet dubitationem, quo magis favorabilis temporis adscripti in hac parte ratio est, ut adeo nisi adiectus dies praeterierit, bello iterum experiri, per fidem pacti non liceat. (r)

(r) Varii occurrunt hic iura textus, sed quas vitandae prolixitatis causa de industria praetereo. Interim conf. vir Summus Hug. Grot. de Iure B. et P. III. XXI. 4. p. 602. qui instar omnium erit, dignus, qui et ob iusti operis contextum, et exquisitum ordinem considerandi, et mirum distingvendi acumen, et gravissima rationum pondem ab omnibus laudetur. Faciunt huc alias §. 2. l. de Verb. obl. et l. 44. §. 1. ff. de obl. et act. Sed quid dicendum, si induciae in anni bissexto vicefimum octavum diem Febr. fuerint constitutae? Si inter eas gentes usus Calendarii Iuliani sit favor induciarum exigit, ut biduum comprehensum intelligatur. Id enim in mense intercalari pro uno die habetur l. 98. ff. de V. S. Si tamen tempus, quo induciae circumscriptae erant, elapsum fuerit, ipso iure bellicos repeti actus, manifestum est, ut adeo, nisi aliter conventum fuerit, nulla in hac parte opus sit indictione.

§. VII. Magna vero induciarum religio, magna vis, magnum vinculum est, quod et maiores nostri agnoverunt, et nemo ignorat, nisi barbarus. Itaque si civibus, qui rebus novis studuerunt, aut rebellionem quacunque de causa concitarunt, induciae fuerint concessae, perinde erunt servandae, ac iis, qui extra hanc sunt noxam. In promptu ratio est. Nam omnes homines, cuiuscunque loci, ordinis et status fuerint, veniunt in partem iuris gentium, capacesque sunt obligationis tum erga se, tum erga alium, quatenus illa ex conventionem vel ex promissione oritur. Sic ut maxime paciscaris cum latrone, cum pirata, tamen obligatione non liberaberis, nec dubium erit, quin fides semel data sit servanda. (u) Fingo Principem, cuius subditi sacramento, quo adacti fuerant, se ipsos solvant, ac scelesti defectionis consilia te exequantur. Illis bellum inferat Princeps, perfidiam vindicaturus, et rebelles ad obedientiam et iusta obsequia armis revocaturus. Sed interim fortuna ipsum viribus ita destituat, ut, quae voluerat, assequi non possit. Intellecteriam, si bellum illatum persequatur, maius ad se damnum esse perventurum. His rebus tandem deveniat, ut cum rebelibus inducias paciscatur. Quaestio ad factum

factum pertinens versatur, an sancte illae habendae induciae sint? Affirmate cur respondendum sit, causa est, quod tali rerum statu Princeps de iure suo cessisse videatur, et facultatem, seu rationem quandam in genere morum efficacem in civibus deprehendisse intelligatur, propter quam cum iis, quos ante rebelles iudicaverat, pepigerit inducias. Ex hoc colligamus licet, nullo iure, nullo pietatis fundamento subnixum esse illud vulgi.

Fidem frangenti fides frangatur eidem.

Digni Poetastrini ineptientis cerebello versus, et cum auctore ad ipsam barbariem relegandi. Facile autem, quo haec pertineant, olfaciet, qui res gestas superiorum temporum perspectas habet. (x)

(x) Nam et cum latronibus et piratis iurigentium communitio est, Conf. Grot. III. XIX. et D. Iob. Strauch. diff. Justin. XII. Aph. IIX. nec non D. Lebleu. instr. futur. Consil. c. 24. p. 259. (x) In hac quaestione facti duo olim disceptabantur, 1. an Belgae sint rebelles? quod Hispanus affirmabat, illi negabant. 2. an facta belli, eo nomine exortu, compositione, et sanctione publica ius immunitatis ab omni Hispanorum praetensionis consecuti sint? Quod ipsi iterum aiunt. Nos alibi dicemus, in quo huius disceptationis summa vertat. Interim rebellionem ex animo detestamur, et suum cuique Principum aeternum imperium, et stabilem pariter pacem precamur.

§. VIII. Sed alia succedit cura, perpensuro, utrum iustum sit, inducias violatas, tempore adhuc induciis praestituto, vindicari? Nobis omnino id fieri iuste videtur, quod paciscentes istae partes sub conditione aequaliter servandae huiusmodi pacificationis, contraxisse censeantur. Qua ab altera parte violata, altera et solvi protinus pactorum religione, et alteri, sine omni denunciatione, movere bellum posse intelligitur. Tum vero si recte iudico, non debet esse melior conditio perfidi, quam fidelis, foedifragi, quam veracis, iniusti, quam iusti. Contraria exempla afferri, non ignoramus, sed unde regulam facere, inusitatum, imo inauditum inter prudentes sit. Urbanitas quorundam in praedudicium iustitiae allegari non debet.

(y) Grot. l. III. XIX. 14. p. 579. 598. Tales enim induciae sub conditione iustitiae consentur, ita ut si haec pars servare debeat, illa quoque ad servandum obligetur. Itaque si altera a praestanda promissione discesserit; altera quoque ob id, sub cuius tacita conditione inducias contraxit, non impleta, ad implendum obligari non potest. Hinc eo casu cessat illud, perfido quoque fidem servandam esse.

§. IX. Sed et hic temporis, quod inducias meritor, haberi ratio debet. Quippe induciarum privilegio usuri, id tanta observare industria debent, quanta cura est salutis. Sunt etiam, qui hic scrupulum iniiciant, decidendum postulantes, utrum iure induciarum illi uti liceat, qui eo tempore, quo circumscriptae sunt induciae, summa quadam necessitate coactus, in hostico remanserit? Nempe fingamus Caium, tempore induciarum, quae Calendis Quintil. definitae sint, in victi-

nam urbem commigrasse, et vix eo profectum in morbum incidisse, nec prius convaluisse, quam praeterierint Kalendae, praefinitus induciis terminus. Si stricto agendum iure est, haud excusaverim Caium, qui sibi imputer, quod suis neque de statu suo nuncium miserit, neque morbum per alios indicaverit, ut avchendum curarent; tum quod fortasse temere abierit, quodque inter suos illa non quaesierit, quae in civitate ad hostem pertinente expectaverat. Nam non video, quomodo ille privilegium induciarum allegare possit, cum tempus, quo ius illud se exerebat, praeterierit, et adeo nullus illius beneficii, quod iam tum cessavit, possit esse effectus. Si vero a iure discessuri, de poena loquamur, aequum vulgo censent, aut generoso hoste dignum, talem dimittere, quod non tam malitia quadam, quam per imprudentiam peccaverit. Sed id non sine cautione accipiendum esse, alibi monendi occasio erit.

§. X. Nulla vero ratione concedendum est, ut, si milites privatim se lacessant, induciae rumpantur. Nam id vel uno confirmare argumento possum, quod ex ingenio ipsius pactionis militaris arcesso. Qua enim autoritate superioris constituuntur, eadem dissolvantur, necessum est. Atqui hanc non nisi publicam esse, nemo tam rudis est, ut nesciat. Quibus igitur modis quid colligatur, iis separatur et dissolvitur etiam. Huc pertinent Turcarum et Hungarorum (z) mores, qui privatim saepe se aggrediuntur, et praedas subinde agunt, invita utraque principe parte, quae in id non consentit, neque publico actu, indiciove ullo ruptas esse inducias declarat. Si tamen damna a privatis illata nimium excreverint, iustaeque patientiae excesserint limites, illa ut sarciant privati, iure altera petere pars potest. Nam ut eo publica auctoritate adigantur, remedia dari oportere omnino, fas puto. Nisi tamen invaluerit consuetudo, ut damna damnis pensentur.

(z) Auger Gelen. de Busbeq. Ep. Turc. prim. passim. Proinde induciae sunt cessatio actuum hostilium, non quorumvis, sed publicorum.

§. XI. Nec omittendum hic putamus, quod multos haecenus fatigavit. Damus, inter duas partes tempore pacis convenisse, ut, quae ante bellum possessa sunt, alteri earum restituantur. Cogitandi arripitur occasio, quae istud sit bellum? Novumne, an idem repetitum intelligi debeat? Nos, ut par est, iis accedimus, qui de bello eodem, saltem vero renovato, interpretantur, cum et pacis induciis, semper idem maneat bellum, et a praeliis tantum, non a bello, cessatum haecenus sit. (aa)

(aa) de Iud. inter gent. part. 2. pag. 435.

§ XII. Iam curae erit, despicere, qualis Legatorum de induciis agentium conditio sit? Per honorificum esse legatorum munus, et reipublicae pariter salutare, in aperto est. Sed vero non erga omnes eadem comitatis declarari argumenta, tam notum est, quam compertum, aliam civilem, aliam militarem esse legationem. Quorum illa et per benigna, et favorabilis maxime est. Nam legati civiles et proli-

xius

xius accipiuntur, ac Legati militares, et munificentius tractantur, et in interiora civitatis, ubi exponenda sunt mandata, recipiuntur, muneribus ac honore maximo affiendi. Verum qui fecialium partes (bb) obeunt, vel denunciaturi bellum, vel exoptulaturi iniurias, vel res oblatas repetituri veniunt, eadem, qua illi, humanitate non excipiuntur, sed gravissime admonentur, caveant a propinquiori accessu, abstinantque liberiori egressu, ab urbe ut plurimum, in qua caput rerum est, et castris submovendi. Adduntur et subinde custodes, qui quae agant, et quo commutare soleant, diligentissime observent. Cuius ratio a metu exploratorum, ac iusta suspitione desumitur, quod existimari possit, tales non modo nuntiatum mandata, sed et speculatum aliena, et proditum arcana, quae moliantur, quaeve agat hostis, venisse.

(hh) *Inde colligere in promptu est. Legatorum quidem receptionem esse iuris gentium, sed non eandem huius receptionis actionem esse, ac adeo aliam magis, aliam minus solennem, aliam maiori, aliam minori comitate excipiendam, quarum utraque in privilegio securitatis quidem paria facit, sed in humaniori ac benigniori recipiendi officio discrimen versatur maximum. Huiusmodi legationis militaris specimen dederunt Ton-Hove et Gisbert. de VVit. Lusitaniae Regis Don Ioan. IV. viduae bellum indicturi. Nos, inquit, commissorum foederati Belgii Curatores, ut legitimum sit eius initium, dominorum nostrorum iussu ac nomine, Regia Mai. Tuae, coeterisque Lusitaniae regni Proceribus et incolis, bellum indicimus, decernimus et declaramus: et iusti Dei benignitate freti, ut prospero successu, atque optato fine geratur, optamus. Sicut commemorant *ισωγουρα* Thuldenus Hist. part. III. l. 7. cuiusmodi Legati speciatim vocantur Heroldi, si bella denunciatum veniant. Ex quibus apertum est, multis a se intervallis distare legationes civiles et militares; ad has referimus legationem de Induciis, solennitate quidem et securitate civilibus haud recedentem, at comitatus, honorumque tributorum officiis prioribus illis longe posthabendam.*

§. XIII. At postremum haud ducimus negligendum, iura induciarum, ut solius maiestatis sunt (cc) ita nisi ea indulgeat maiestas, aut speciatim salutis publicae gratia aliis utenda concedat, neminem ea sibi posse arrogare, nisi in sacra imperii impium, nisi hostem, nisi perduellem. (dd) In sacratissimo Imperii Germanici corpore, quatenus eadem de eius agitur iure, aut rebus ad salutem utilitatemve publicam ulla ratione pertinentibus, nec solus Imperator, nec soli Ordines, sed miro quodam et divinitus concessio temperamento, (ee) ea cum Imperatore coniuncta habent exercentque Ordines. (ff) Nam nullas recipit Germania leges, nisi nomine Imperii. (gg) Sanctus Germanis Imperator, sanctum Augusti nomen est, qua stat conventis, interposita iurisiurandi religione confirmatis. Colunt illum Ordines fide et obsequio, si servat promissa parent, obsequuntur, venerantur, sed legibus alligatum. (hh) Quicquid contra eas factum fuerit, non censent ab Imperatore fieri, Sed id ut alibi persequamur, occasionem nuper dedit Hortlederus. (ii) Nimi-

Nimirum nil tam Germaniae adversum est, quam regium imperium: nil tam salubre, quam temperatum et ex Imperatore Ordinibusque suavissimo coalitum consensu regimen. Quorum coniuncta et sanctis imperii Legibus fundata maiestas ut aeterna sit, et perpetua Augusto nostro cum Senatoribus concordia, pax, et inviolabilis amicitia intercedant, pietas civem Germanicum iubet precari. Ceterum Conciones civiles, quibus Oratores de induciis aucturi solent uti, hic omitto, alibi a Praeside recensendas. Sed hic finimus, quia lex imperat finem.

(cc) Inducias ad iura maiestatis pertinere, iam satis ex superioribus liquet. Idque non recte observatum Caesari pene exitium attulit, ut eleganter declamant Georg. Lorenz von Spattenbach polit. philosoph. p. m. 110. Sed latebat hic arcanum dominationis, alibi edifferendum. (dd) Induciae, quae nomine imperii panguntur, non minus, quam coeternum belli et pacis, fœderum et Legationum, ad Imp. et Ordin. consuetudinem pertinent. Quae autem iure potestatis in territorium competentis ineuntur, cuique pro se Principum concessae sunt. Quod et publicae sanctiones, et exemplarum numerum testantur. Sed hic non omiserim, Georg. Brudlachi, a nobis dissidere, ut qui censeat, Principibus non tam titulo potestatis in territorium, quam peculiaris cuiusdam privilegii nomine, induciarum dandarum ius convenire. Qui tamen si illic de iis induciis loquatur, quae ad moram debitoribus exhaustis concedendam comparatae sunt, fortasse tamen non ex vano suspicabimur, idem eiuſdem de induciis militaribus iudicium fore. Sed id alibi plenius examinabimus. Interim conf. dictu auctor in Rep. Rom. Germ. c. 14 p. 198. 199. (cc) Inepte divinum hunc ordinem, et suavissimam harmoniam, sugillat personatus Monzambano de st. it. Imper. German. cap. 6. §. 9 cuius iudicandi parum saepe religiosa licentia alibi accuratius castigabitur. (ff) Sacras imperii leges (vulgo fundamentales vocant) ab Imperatore non nisi Ordinum consensu sanciri, constat ex tabulis publicis. V. Pacif. Osnabrug. Instr. §. 8. vers. gaudeant. Conf. R. A. 1654 §. und aber bey den ersten / et §. setzen demnach ordnen / wollen und gebiethen. Sed id vel sola confirmare potest sanctio Augustissimi nostri Imperatoris Leopoldi. Cuius ut servata et aeterna sit maiestas, et salutis Germaniae et religionis erga sacratissimum imperium inter est precari. (gg) Limn. annot. ad cap. Carol. V. art. 2. Summus Ictus Carpzov. c. 3. ad L. R. f. 1. Scirnius Nomoth. T. IV. Huld. Enben ad Perez. tit. de S. Ct. n. 2. et personatus illic ad novissimam imperii sanctionem commentator, qui Burgoldensem se vocat. (hh) nimirum digna vox maiestate regnantis est, legibus alligatum se Principem profiteri l. 4. C. de Leg. Haec causa est, cur Politici distinguant inter imperium, absolutum, et, ut vocant, legale, seu temperatum, quae Imperatori nostro convenire, in expedito est probare. Huc conf. Gockel cap. 18. th. 13. Sed huius fundamentum ineptius sit, qui ex legibus Iustinianicis derivatum velit. Itaque hic provocamus ad publica decreta, pragmaticas sanctiones, et Caesareas, ut loquuntur, capitulationes, ac mutua compactata. (ii) in diff. de Iust. Bell. Germ. contra Carol. V. Imper. quae extat sine operum Melch. Goldasti.